Coleoptera Micropterа

Brunsvicensia

nec non

Exoticorum

quotquot exstant in collectionibus
Entomologorum Brunsvicensium

in genera familias et species

distribuit

Dr. J. L. C. Gravenhorst

Societatis Physicae Goettingensis Sodalis.

Brunsvigae,

apud Carolum Reichard MDCCCII.

1802

VIRO

ILLUSTRI ATQUE DOCTISSIMO

JOH. CHRIST. LUD. HELLWIG,

DOCTORI PHILOSOPHIAE, PUERORUM NOBILIUM IN AULA BRUNSVICENSI PRAEFECTO, MATHEMATICAE ET HISTORIAE NATURALIS PROFESSORI, SOCIETATUM PLURIUM NATURAE CURIOSORUM SOCIO,

HOC OPUSCULUM

SACRUM ESSE

VOLUIT

AUCTOR.

Tu, vir venerande, fuisti, qui primus me cognitione rerum naturalium imbuisti, et mihi ordinem atque finem earum probasti. *Te* duce conabar sequi viam, quam mihi ostenderas, et amicitia atque benevolentia *tua* pro adminiculis erant mihi, viam semel ingresso. Perpendebam, quam amplus sit campus, qui ante oculos extendebatur, et quanta atque qualia necessaria essent, quo tuto in eo progrederer; praeceptis attamen ducis peritissimi fretus, audebam ulterius procedere, et meas quoque vires quantulascumque in ejus culturam impendere.

Hoc opusculo *tibi, vir venerande*, tentaminis primi mei rationem reddo. Utinam *tuo* atque reliqui publici entomologici applausu dignum sit.

Scripsi
Brunsuigae,
mense martio MDCCCII.

Prolegomena.

§. 1.

Historia culturae Coleopterorum Micropterorum.

Coleoptra Microptera illa appello insecta, quibus sunt „coleop„tra dimidiata, et tarsi quinquearticulati;" characteribus enim his duobus a reliquis coleopteris facillime distinguuntur.

De his insectis in historiae naturalis cultorum vetustissimorum scriptis nihil certi invenimus, et eis omnino ignota fuisse videntur. Qui autem initio seculi decimi septimi vixerunt, primo quorumdam horum coleopterorum mentionem fecerunt; *Aldrovandus* sub genere *Forbicina* tam Forficulas quam Staphylinos complexus est 1). — *Moufetus* insecta, ab Aldrovando „Forbicinae„ appellata, separavit, et quaedam *Forficulas* quaedam *Staphylinos* denominavit 2). — Dehinc genus Sta-

1) Ulysses Aldrovandi, Medici Bononiensis, de Animalibus Insectis libri VII, Bononiae 1602 (et alias alibi editi).

2) Insectorum sive minimorum Animalium Theatrum etc. Th. Moufeti Londinatis opera etc. perfectum etc. Londini 1634.

phylinorum sensim speciebus pluribus augebatur. *Linnaeus*, qui primus „Systema Naturae" 3) proprie sic dictum, characteribus firmis nixum, edidit, in ordineprimo Insectorum qui Coleoptera complectitur, plures *Staphylinorum* species descripsit — *Geoffroy* 4) insecta in sectiones distribuit, sectiones in articulos, articulos in ordines. Sectioni primae, quae coleoptera continet, articuli secundi, „coleoptris dimidiatis duris," ordo primus, „tarsorum articulis quinque," solum genus *Staphylinorum* continet, jam speciebus multis insigne. — *Schaeffer* 5) e Coleopteris, elytris dimidiatis, quae *Coleoptera Microptera* appellat, classem secundam insectorum constituit, cujus ordo primus Coleoptera Microptera, „tarsis omnibus quinquearticulatis," solos scilicet *Staphylinos* Linnaeanos, comprehendit. — *De Geer* Coleoptera in classe insectorum octava congregavit. Sectio prima hujus classis complectitur Coleoptera tarsis omnibus quinquearticulatis 6), inter quae etiam *Staphylinos* Linnaeanos. — *Fabricius* hoc genus, hactenus indivisum, in tria genera dissolvit, *Staphylinorum* nempe, *Oxypororum* et *Paederorum*, et Coleoptera, ordinem insectorum primum, *Eleutherata* appellavit 7). — Multitudine autem specierum, et habitu earum vario, apparebat, haec

3) Caroli Linnaei Systema Naturae etc. Lugduni Batavor. 1735 (et alias alibi editum).

4) Histoire abrégée des Insectes par M. Geoffroy. Tom. I. et II à Paris 1764.

5) Jac. Christ. Schaeffer Elementa Entomologica etc. Ratisbonae 1766.

6) Memoires pour servir à l'histoire des Insectes par Charles De Geer etc. Tom. I — VII à Stockholm 1752 — 1778.

7) Joh. Christ. Fabricii etc. Systema Entomologiae etc. Flensburgi et Lipsiae 1775.

genera in pluria naturalia adhuc disiungi posse. *Hellwigius*, in *Rossii* Fauna Etruriae 8), quam edidit (gen. 87), jam monuit, „Ista tria genera Fabricii" (Staphylinus, Oxyporus et Paederus) „non sufficere" et „Oxyporos rufum et maxillosum genus peculiare constituere" (gen. 88). — *Olivier* 9) genera quidem Fabriciana retinuit, Staphylinos autem, secundum capitis magnitudinem, in duas familias divisit, et Oxyporos plurimos Fabricii, illos scilicet, qui characteribus distinctivis, a Fabricio ipso huic generi propositis, haud responderent, ad Staphylinos retulit. — *Latreille*, conservatis generibus tribus, quartum addidit, e *Staph. biguttato, clavicorni* et affinibus constitutum, quod *Stenus* nominavit 10). Coleoptera sunt ejus classis prima insectorum. — *Cuvier* 11), exemplo antecessorum, insecta in classes, sectiones &c. distribuit. Classis quarta Coleoptera comprehendit; ordo N huius classis, „Coleoptera coleoptris dimidiatis," quae sunt Staphylini Linnaeani. Hoc genus in quatuor subdivisit familias, scilicet a. Staphylinos, b. Paederos, c. Oxyporos, d. Stenos.

Linnaeus, *Geoffroy*, *Schaeffer*, horumque virorum coëtanei, genus Staphylinorum characteribus multo melioribus et distinctioribus constituerant, quam multi eorum successorum. Ratione enim habita coleoptrorum dimidiatorum, antennarum, tarso-

8) Fauna Etrusca, sistens insecta, quae etc. collegit Petrus Rossius etc. iterum edita a Dr. J. C. L. Hellwig etc. T. I. Helmstadii 1795.

9) Entomologie etc. par M. Olivier, Tom. I — III à Paris 1795.

10) Précis des Charactéres génériques des Insectes par le citoyen Latreille à Brive, an V de la R. (1796).

11) Tableau élémentaire de l'histoire naturelle des animaux par G. Cuvier, Paris, an VI (1797).

rum &c., characteribusque ab his desumtis, genus Staphylinorum optime a cogeneribus discreverant. Habitu autem externo duce, species huius generis commode in plura genera dispesci poterant. — *Fabricius* Staphylinos in tria genera sejungebat, in characteribus genericis a solis instrumentis cibariis desumtis, infeliciter autem in singulis speciebus haud examinatis et collatis. Inter characteres *Staphylinorum* sunt „palpi quatuor filiformes;" quaero autem, num Staph. *biguttato*, *atricapillo*, *fuscipedi*, *canaliculato*, *sanguineo*, *florali*, *piceo* &c. palpi sint filiformes? *Oxyporos* a cogeneribus distinguit „palpis quatuor inaequalibus; anticis filiformibus, posticis securiformibus;" character, duobus tantum viginti trium specierum hujus generis proprius; palpis enim Oxypori veri (e. g. O. *rufus*, *maxillosus*), Oxyp. *lunulatus*, *subterraneus*, *rufipes* cum affinibus, et Oxyp *cellaris*, *analis*, *chrysomelinus* &c. longe diversi sunt. Idem valet in tertium genus, nec *Paederis ripario*, *elongato*, *orbiculato* &c. palpi sunt iidem. — *Olivier* et *Paykull* 12) genus quidem *Oxypororum* characteribus emendaverunt, omnia scilicet coleoptera, in Systemate Fabricii, sub hoc genere complexa, Oxyporis *rufo*, *maxilloso* et similibus exceptis, in genus Staphylinorum redigentes. Stahpylinis autem et Paederis parum operae dederunt, nisi quod illos, secundum capitis magnitudinem, cum thorace comparatam, in duas familias diviserint, quae tamen, magnitudine capitis huius generis insectorum adeo variabili, parum prosunt.

Haec omnia me impellebant ad examen horum generum et specierum accuratius instituendum, cui copia haud parva specie-

12) Monographia Staphylinorum Sueciae a Gustavo de Paykull. Upsaliae 1789 8.

Gustavi de Paykull Fauna Suecica Tom. III. Upsaliae 1800.

rum, pro parte omnino adhuc novarum, quas undique collegeram, occassionem exoptatissimam offerebat. Constitutio generum, quae hoc opusculo tractabo, fructus huius examinis erat. Incitatus a Prof. *Hellwig*, comiter mihi concedente usum collectionis divitis, speciebus pluribus novis et specierum jamjam notarum magna copia; conspicuae, consilium capiebam publice proferendi quae observaveram. Interea Prof. *Knoch* jam aliquid temporis in examen horum coleopterorum impenderat et plura nova genera condiderat, scilicet e Staph. *biguttato*, *clavicorni* &c. genus *Eyryops* (Stenus Latreille); e Staph. *fuscipede*, *canaliculato*, *piceo*, *impresso* (Oliv.) *sulcato* (Oliv.) &c. genus *Aleochara*; e Staph. *rivulari* (Payk.), *obscuro* (Payk.), *brunneo* (Payk.) &c. genus *Anthophagus*; ex Oxyporis Fabricianis, praeter Oxyp. *rufum*, *maxillosum* et affines, genus *Tachyporus*. Cum autem Pr. *Knoch* nondum in animo haberet, quae observaverat jam promulgare, haec mecum benevolenter communicabat. Nomina generum novorum Prof. *Knoch* retinui, et e collectione ejus divite insectorum, plures hactenus ignotas species descripsi. — Multa sunt, quae viris doctissimis, Professoribus *Hellwig* et *Knoch* debeo, et illis auxiliantibus effectum est, si hoc scriptum ad aliquam perfectionem pervenerit. — Hic autem adnotare me oportet, Monographiam Coleopterorum Micropterorum Brunsvicensium jam maximam partem prelum reliquisse, cum consilium caperem, exotica quoque describendi, quotquot eorum collectiones *Comitis de Hoffmannsegg*, Professoris *Hellwig*, et Professoris *Knoch* continerent. Unde evenit, ut quibusdam generibus et speciebus vernaculis character unus vel alter desit, quo a generibus atque speciebus exoticis affinibus differunt. E. g. characteribus genericis *Anthophagi* addendus est „Thorax cordatus," cum „Antennis filiformibus, thorace postice truncato"

haud a *Pinophilo*, genere exotico, distingui possit. Diagnosi *St. olentis* „niger, opacus," addendum est, „antennis extrorsum tenuioribus", quibus a *St. tomentoso*, ex America septentrionali, differt. *Lathrobium depressum* e Lusitania familiam constituit peculiarem huius generis, habitu enim de reliquis Lathrobiis omnino decedit; unde sequitur, descriptionem quoque generalem, Lathrobiis praemissam, ad hanc speciem non referri posse. — Praeterea Coleopteris Micropteris exoticis quaedam indigena inserta sunt, quae in horum Monographia desunt, cum serius innotuerint.

§. 2.

De characteribus generum, nec non de diagnosibus et descriptionibus specierum.

Coleopterorum Micropterorum genera, quae condidi, adhibitis characteribus eorum essentialibus atque distinctivis, in tabellam sequentem redegi:

Coleoptera
coleoptris dimidiatis, tarsis quinquearticulatis.

Coleoptera Microptera.

I. Palpis anterioribus triarticulatis.

A. Antennarum articulo ultimo ovato.

1. Articulo ultimo palporum posteriorum acuminato. — *Paederus.*

2. Articulo ultimo palporum posteriorum ovato. — *Stenus.*

B. Antennarum articulo ultimo cylindrico. — *Callicerus.*

II. Palpis anterioribus quadriarticulatis.

A. Articulis ultimis palporum inaequalibus. — *Oxyporus.*

B. Articulis ultimis palporum aequalibus.

1. Articulis ultimis palporum ovatis.

a. Thorace postice rotundato. — *Staphylinus.*

b. Thorace postice truncato.

α. Antennis extrorsum crassioribus.

aa. Thorace marginato. — *Omalium.*

bb. Thorace immarginato. — *Tachinus.*

β. Antennis filiformibus.

aa. Thorace cordato. — *Anthophagus.*

bb. Thorace quadrato. — *Pinophilus.*

2. Articulis ultimis palporum securiformibus. — *Astrapaeus.*

3. Articulis ultimis palporum gracilibus subuliformibus.

a. Thorace elongato. — *Lathrobium.*

b. Thorace brevi.

α. Tibiis laevibus. — *Aleochara.*

β. Tibiis spinosis.

aa. Thorace laevi. — *Tachyporus.*

bb. Thorace foveolato. — *Oxytelus.*

Pluria horum generum rursus in familias dilabuntur, quas singulis generibus anteponam.

E tabella praecedente quisque videbit, me, in constitutione generum, *systema artificiale* secutum esse, et characteres genericos a quibusdam solummodo partibus desumsisse. — *Systema naturale*, habitu toto insectorum fundatum, in praxi forsan optimum foret, in theoria autem difficile, cum sane lingua quaevis nimis inops sit, quam quod, brevibus verbis, habitum illum totum et modificationes ejus circumscribere possit, et in fine, pro descriptione habitus, nihil aliud quam descriptionem lon-

gam partium omnium singularium, i. e. systema artificiale, daret. Habitus autem me duxit in ista genera, quae postea characteribus, ut credo, certis atque firmis, condidi; systema enim artificiale eo melius esse, puto, quo propius accedit ad systema naturale. Coleoptera Microptera omnia, quotquot eorum possidebam, secundum habitum totum, in plures cohortes seu genera segregabam, hoc facto disquirebam partes, quarum forma singularis huic vel illi generi propria erat, et ubi character unus nondum sufficiebat, partium plurium simul rationem habebam. Hoc modo cuique generi characterem vel characteres quosdam eruebam, qui conjunctim genera a cogeneribus distinguebant. Conjunctio Staph. *maxillosi*, *clavicornis*, *fuscipedis*, *angustati*, *picei*, *floralis*, quos, cum multis aliis, *Fabricius* sub genus Staphylinorum complexus erat; porro, conjunctio Oxyp. *rufi* et *rufipedis*, Paederorum *riparii* et *elongati* &c. nunquam mihi naturalis esse videbatur. Examine instituto, mihi facile persuadebam, singulum eorum, cum affinibus, peculiare genus, characteribus firmis et constantibus distinctum, condere posse. Simul autem experientia me docebat, quam sit difficile, systema naturale cum systemate artificiali absolute conjungere. Quaedam insectorum huc pertinentium, habitu toto simillima, forma palporum plane invicem decedebant et cum aliis generibus, valde dissimilibus, conjungenda fuissent; si characteres generum a palpis solis desumsissem, et partium aliarum nullam rationem habuissem. E. g. Oxyp. (Fabr.) *rufipes*, *lunulatus* &c. secundum formam palporum, ad Staphylinos, Anthophagos, aliudve genus; Oxyp. (Fabr.) *bimaculatus*, *chrysomelinus* &c. ad Aleocharas, Oxytelos aliudve genus, relegari debuissent. Quia vero Oxypori allegati Fabr.; secundum principia systematis mei; nec, formae diversae palporum causa, sub eodem genere manere poterant,

quamvis, habitu naturali, affines, (e. g. *Tachini corticini* varietates pallidae, nec non *Tachinus suturalis* et *Tachypori* breviores fam. secundae), nec cum ullo alio genere, ob habitum nimis singularem, conjungi poterant, in duo genera peculiaria diremti sunt, cum, characteribus constantibus, de aliis etiam partibus corporis desumtis, a congeneribus distingui possint. Oxyporos ergo *lunulatum*, *rufipedem*, *chrysomelinum* et affines (Fabr.) ab reliquis, et veris, Oxyporis Fabricianis et cogeneribus disiungentem, habitus naturalis horum coleopterorum, genera autem Tachypororum et Tachinorum constituentem, me principia systematis artificialis duxerunt, hoc casu systemati naturali contraria. Ista principia postulabant etiam, ut Staphylinum *Ulmi* (Rossi), habitu Staphylinis familiae tertiae (imprimis Staph. *nitidi* varietatibus maioribus, „elytris castaneis") simillimum, a caeteris removerem; nec non Paederum *flavipedem* (Knoch), habitu Lathrobiis (familiae Paederorum Knoch) similem, a Lathrobiis et Paederis; Callicerum autem ab Aleocharis, quibus habitu affinis est.

Characteres generum a pluribus corporis partibus mutuavi; haud enim videbam, cur me oportuisset semper unam eandemque partem respicere, nec characteres distinctivos de illa vel de illis partibus desumere, quae hoc illudve genus optime a reliquis distinguebant; simulque, quatenus possibile et conveniens erat, earum partium rationem habui, qui facilius et sine noxa insecti examinari et observari poterant. — Haud abnego, characteres, quos instrumenta cibaria praebent, forsan optimos fore, cum forma eorum, adeo multifaria, semper attamen distincta et in generibus constans esse videatur. Utinam, examen harum partium exiguarum, adeo operosum et a pluribus partibus instituendum, semper sine noxa insecti institui posset, neque

saepius, insectis minimis, plane impossibile esset. *J. C. Fabricius* ipse, pater systematis entomologici, cuius characteres de instrumentis cibariis solis desumti sunt, ora maiorum solummodo specierum generum ab ipso conditorum examinavit, et de his paucis speciebus, quae saepius pars vix quinquagesima totius generis sunt, huius characteres desumsit, et reliquas cospecies, secundum habitum totum vel habitationem et modum vitae communes, illis coordinavit. Haec mea sententia, minime vaga aut temeraria, rationibus, ut credo sufficientibus, nititur, cum longum per tempus examini characterum, ab oris partibus desumtorum, operam dederim, haud attamen neglectis speciebus minoribus. Imprimis autem veritas illius, quod jam dixi, mihi patebat, cum, inductus certitudine, magnam inter multitudinem horum insectorum, quae collegeram, multas novas species fore, paucis in operibus autorum descriptis, consilium caperem, genera Coleopterorum Micropterorum examinandi. Examine instituto, observationes meas ratione oris partium cum characteribus conferebam, quos *Fabricius* generibus tribus Staphylinorum, Oxyporum et Paederorum attribuerat; ecce, haec disquisitio et haec collatio certiorem me faciebant, patrem ipsum systematis, cuius fundamenta instrumenta cibaria erant, partim multa omisisse, partim species solummodo maximas examinasse. E. g. Staphylinorum character Fabricianus sunt „palpi aequales filiformes;" num vero palpi Aleochararum et Oxytelorum, quos Fabricius generi Staphylinorum inseruit, filiformes? nullo modo, sed a palpis Staphylinorum, cuius generis species minimae vix minores sunt quam species maiores Aleochararum et Oxytelorum, longe diversi. Porro: Oxyporis, secundum *Fabricium*, „palpi posteriores clavati" sunt; eis autem Tachinos et Tachyporos immiscuit, quorum insectorum maximum haud minimum

Oxyporum, longitudine, aequat, et quorum palpi posteriores, utique a palpis posterioribus Oxypororum diversi, filiformes sunt. Ut brevis sim: Nihil facilius erat, quam, ipsa methodo Fabriciana, e tribus allegatis generibus duplo plura producere, adeo instrumenta cibaria eorum diversa erant. Cum vero, characteribus genericis, nollem solis partibus oris uti, ob causas supra partim iam expositas; characteres de illis tantum oris partibus desumsi, quae facile, in situ eorum naturali et quieto, examinari poterant: Palpi fere semper prominent, et cum praeterea, tam numero quam forma articulorum, praecipue ultimi, satis invicem differant, nullarum aliarum oris partium, quam palporum, characteribus generum distinctivis, rationem habui, quamquam non omittam, descriptionibus necessaria de instrumentis cibariis, quatenus ea examinare potui, inserere 1).

1) Examen partium oris in genere haud res facillima est, uti jam aliis locis ostendi. Palpi quidem facilius observari possunt, quam ulla alia oris pars, cum satis promineant, examen autem eorum nihilominus diligentiam et attentum oculum poscit. Fabricius vel in numero ipso palporum interdum erravit: Cychris, in Entomologia Systematica, quatuor tantummodo palpos tribuit, cum attamen sex palpis distinctis instructi sint, quod etiam in recentissimo opere (Joh. Christ. Fabricii etc. Systema Eleutheratorum etc. Tomus I Kiliae 1801) correxit. Characteribus classis Ulonatorum addidit „os palpis quatuor;" Forficulae auriculariae autem palpi sunt sex aeque distincti, ac Cicindelis, Carabis etc. e classe Eleutheratorum. Hi errores certo inde orti sunt, quod palpus interior (seu palpus anterior Fabr.) individuo, quod examinabatur, arcte dorso maxillae adjaceret, et primo intuitu, pro ipso dorso maxillae haberetur. Propria experientia me docuit, hunc situm nimis facile decipere posse. Forsan autem Fabricius Forficulam auriculariam nequidem examinavit, et a reliquis Ulonatorum generibus, omnino, quotquot illorum examinavi, palpis modo quatuor instructis, characteres huius classis mutuavit. — Contra, aliquid pro palpo interiore haberi potest, quod nihil aliud est, quam processus maxil-

Cum segregarem et describerem species generis alicuius, omnia in eo posita esse credebam, quid sit *essentiale* quid *fortuitum*. Illud sunt characteres constantes, hoc autem inconstans est, nec in characteribus distinctivis speciei vel generis respicitur, sed tantummodo in subspecierum vel varietatum descriptione. Quid sit essentiale, quid fortuitum, experientia, collatio et analogia docent. Proportio, forma, sculptura, color partium, quibusdam speciebus essentiales esse possunt, quibusdam fortuiti. — Quod attinet ad *proportionem*, sunt genera, quorum speciebus, caput, sine exceptione, thorace minus est (e. g. Tachinis); e contrario, quorumdam generum speciebus, caput thorace vel minus vel maius, vel ejus magnitudine est (e. G. Staphylinis); immo sunt species, quarum individua, proportione capitis ad thoracem, adeo differunt, ut caput quibusdam thorace maius, quibusdam thorace minus, quibusdam thoracis magnitudine sit (e. g. Oxyporis et pluribus Staphylinorum atque Oxytelorum speciebus) 2). Proportio capitis ad thoracem illis ergo essentialis, his autem fortuita est. Longitudo etiam relativa antennarum variat in individuis quarumdam specierum (e. g. Staph. *nitidi*, Aleoch. *Boleti*) 3). — *Forma* partium jam minus variabilis est; sunt attamen species, quibus e. g. thorax vel transversus est vel orbiculatus (e. g. Aleoch. *Boleti*), vel cornutus vel inermis (e. g. Oxyt. *tricorni*); caput vel cornutum vel inerme (e. g. Oxytel. *tricorni*, *cornuto*). — *Sculptura*, in ge-

lae. Chrysomelae saltem et Galerucae, quas examinavi, numquam palpos sex habebant, sed processus maxillae exterior palpo similis erat. — Confer quae infra de hoc processu maxillae monebo (§. 6. not. 2).

2) Confer §. 4.

3) Confer §. 5. not. 1.

nere, characteres praebet bonos, imprimis si partes sulcatae sunt. Puncta, numero, ordine et crassitie vel subtilitate, saepius variant; observationes attamen et collationes repetitae probaverunt, numerum atque ordinem punctorum in seriebus thoracis Staphylinorum familiae tertiae, speciebus perpaucis exceptis, constantissimos esse. — *Color* etiam multis speciebus variabilis est (e. g. Staph. *nitido*, *alternanti*, Aleoch. *Boleti*, *nanae*, Tachino *melanocephalo* &c.). — *Magnitudo* autem variabilissima, et ne duobus quidem ejusdem speciei individuis eadem esse solet. Rarissime attamen individua reperiuntur duplo maiora minimo eiusdem speciei (e. g. St. *nitido*, Al. *Boleti*, Tachino *melanocephalo*).

In *diagnosi* speciei character sive characteres dantur, quibus ab omnibus cospeciebus, absolute, i. e. sine collatione cum aliis, se distinguit. — Quales sunt ergo characteres, quos diagnosis postulat? Tales, qui omnibus speciei individuis communes sunt, nec conjunctim (si nempe pluribus opus sit) ulli cospeciei tribui possunt. Nemo negabit, characteres optimos illos fore, qui, secundum analogiam, *essentiales*, i. e. talibus partibus et proprietatibus nixi sunt, quae quidem in speciebus, nec vero in individuis ejusdem speciei, variant, et quam distinctissime verbis exprimi possunt, respectu scilicet numeri, loci, situs, directionis &c. (e. g. *Oxyt. caelatus*, „thorace longitudinaliter quadri„foveolato, foveis duabus mediis arcuatis." Nulli cospeciei Oxyt. *caelati* thorax est, „foveis quatuor longitudinalibus, me„diis arcuatis," sed omnibus reliquis Oxytelis hae foveae, numero vel directione, differunt). Felices, si diagnoses omnes aeque distinctas dare possemus! sed, eheu, hoc nobis in paucissimis tantummodo concessum est. Plerumque necessitas exigebat ut colorem et formam partium consulerem, colorem, cuius mi-

sturas adeo multiplices, formam, cuius species sensim sensimque variantes, distincte et paucis verbis exprimere, nulla certe totius mundi lingua satis locuples erit. Sed, his omissis, mihi adhuc gratularer, si diagnosi semper characteres eruere potuissem, qui omnibus speciei individuis communes fuissent, simulque speciem ab omnibus cospeciebus sufficienter distinxissent; hic autem haeret aqua, et quibusdam vel hoc mihi impossibile erat, atque nihil aliud reliquum, quam ad descriptiones sequentes longiores et varietates delegare 4), (e. g. Al. *Boleti*, quarum specimina nonsolum colore, sed proportione etiam et forma quarumdam partium, v. c. thoracis et antennarum, variant).

Quia hactenus de modo, species describendi et diagnosin concipiendi actum est, mihi etiam liceat lectoribus regulas proponere, quas, receptu specierum vel varietatum, secutus sum: Insectum, quod de omnibus reliquis, charactere essentiali, decedebat, haud haesitabam, pro specie ab illis diversa habere. Character unicus adventitius, vel par talium characterum speciminis singuli nondum sufficiebant ad condendam novam spe-

4) Haud superfluum existimo, hic adnotare, diagnoses specierum electos tantummodo characterum, quos erui, continere: Cuique, qui insectum in hac monographia investigare studet, haud verba diagnosis sufficiant, si quod investigavit invenisse credat, sed insectum cum descriptione sequente fusiore comparandum et, ratione habitus, staturae, partium formae etc. cum quovis alio insecto, ad quod delegatum erit, conferendum est; contingere enim potest, et verisimile saepius continget, ut insecto caeteris paribus, character adhuc essentialis inhaereat, cuius nec in diagnosi, nec in descriptione mentio facta est, quod autem sufficiet, insectum pro specie, in hanc monographiam haud recepta, habere. Dixi, me credere, hoc saepius contingere posse; generibus enim coleopterorum micropterorum hactenus tam parum cultis, et speciebus novis adeo multis in solo ducatu Brunsvicensi repertis, persuadeo mihi, in aliis etiam terris multas novas, nondum in systema receptas species latere.

ciem, imprimis, si variabilitas harum characterum in genere haud rara erat: Differentiam solam coloris unius partis, multoque minus differentiam solam magnitudinis, vel habitationem, unius individui, haud respiciebam. Characteres distinctivi, in genere quidem adventitii, pluribus autem omnibusve speciminibus constantes, existimabam sufficientes ad novam speciem condendam. Nemini autem, ut credo, iniustus vel temerarius esse videbor, duo vel plura individua, characteribus, plerumque essentialibus, differentia, sub unam speciem redigens, si, serie speciminum intermediorum, quibus hi characteres progressive variabant, invicem, aliud in alterum, transibant.

Scripta auctorum, quae saepius, verbis abbreviatis, allegavi, sunt, ordine alphabetico, sequentia;

1. *De Geer Mem.*

Memoires pour servir à l'histoire des Insectes, par M. le Baron *Charles De Geer*. Tome IV. 1774 à Stockholm. 4. (Premier Memoire: Des *Staphylins*.)

2. *Creutzer Ent. Vers.*

Christian Creutzer Entomologische Versuche. Wien 1799. 8. (*Staphylinus* pag. 128.)

3. *Fabr. Ent. Syst.*

Joh. Christ. Fabricii &c. Entomologia Systematica emendata et aucta &c. Tom. I. Pars. II, Hafniae 1792. 8. (*Staphylinus* p. 519. *Oxyporus* p. 531. *Paederus* p. 536.)

4. *Fabr. Ent. Syst. Supl.*

Joh. Christ. Fabricii &c. Supplementum Entomologiae Systematicae. Hafniae 1798. 8. (*Staphylinus* p. 180. *Oxyporus* p. 181.)

5. *Fabr. Mant.*

Joh. Christ. Fabricii &c. Mantissa Insectorum &c. Tom. 1

Hafniae 1787. 8. (Eleuterata, gen. 87. *Staphylinus*, gen. 88. *Oxyporus*, gen. 89. *Paederus*.)

6. *Fabr. Spec. Ins.*

Joh. Christ. Fabricii &c. Species Insectorum &c. Tom. I. Hamburgi et Kilonii 1781. 8. (*Staphylinus* p. 334. *Oxyporus* p. 338. *Paederus* p. 339.)

7. *Fabr. Syst. Ent.*

Joh. Christ. Fabricii &c. Systema Entomologiae &c. Flensburgi et Lipsiae 1775. 8. (*Staphylinus* p. 264. *Oxyporus* p. 267. *Paederus* p. 268.)

8. *Fabr. Fn. Groenl.*

Otho Fabricius Fauna Groenlandica &c. Hafniae et Lipsiae 1780.

9. *Fourcr. Ent. Par.*

Entomologia Parisiensis, sive Catalogus Insectorum quae in Agro Parisiensi &c. &c. edente *A. F. Fourcroy* &c. Pars prima. Parisiis 1785. 8. min. (*Staphylinus* n.)

10. *Fuesslin. Helv.*

Joh. Casp. Fuesslin Verzeichniss der ihm bekannten Schweitzerischen Insekten. Zürich und Winterthur 1775. 4. maj. (*Staphylinus*.)

11. *Geoffr. Hist.*

Histoire abrégée des Insectes par M. *Geoffroy*. Tome I. à Paris 1764. 4. (*Staphylinus* p. 359.)

12. *Götze Beitr.*

Entomologische Beiträge zu des Ritters Linné zwölften Ausgabe des Natursystems von *Joh. Aug. Ephraim Götze.* Erster Theil. Leipzig 1777. 8. (*Staphylinus* p. 730.)

13. *Linn. Fn. Suec.*

Caroli Linnaei &c. Fauna Suecica &c. Stockholmiae 1761. 8. (*Staphylinus* p. 230.)

14. *Müll. Zool. Dan. Pr.*

O. Fr. Müller zoologiae Danicae Prodromus &c. Havniae 1776. 8.

15. *Olivier Ent.*

Entomologie ou Histoire naturelle des Insectes &c. par M *Olivier*. Coleoptéres. Tome III. à Paris 1795. 4. maj. (*Staphylinus* gen. 42. *Oxyporus* gen. 43. *Paederus* gen. 44.)

16. *Payk. Fn. Suec.*

Gustavi Paykull Fauna Suecica. Tomus III. Upsaliae 1800. 8. (*Staphylinus* p. 368. *Oxyporus* p. 425. *Paederus* p. 427. *Stenus* p. 433.)

17. *Payk. Mon. Car. Ap.*

Monographia Caraborum Sueciae a *Gustavo de Paykull*. Upsaliae 1790. 8. — Appendix Staphylinorum p. 134.

18. *Payk. Mon. St.*

Monographia Staphylinorum Sueciae a *Gustavo de Paykull*. Upsaliae 1789. 8.

19. *Panzer Fn. Germ.*

Faunae Insectorum Germaniae Initia. — Deutschlands Insecten, herausgegeben von Dr. *G. W. F. Panzer*, 1 — 84 Heft, Nürnberg 1796 — 1801. 8. min. (*Staphylinus*, *Oxyporus*, *Paederus*.)

20. *Pontopp. Dan.*

Erich Pontoppidans kurzgefasste Nachrichten, die Naturhistorie in Dännemark betreffend. Aus dem Dänischen übersetzt. Kopenhagen und Hamburg 1765. fol. min. (p. 211.)

21. *Rossi Fn. Etr.*

Fauna Etrusca, sistens Insecta, quae in provinciis Florentina et Pisana praesertim collegit *Petrus Rossius* &c. iterum edita a Dr. *J. C. L. Hellwig*, &c. Tomus I. Helmstadii 1795. 8. (*Staphylinus*, gen. 87. *Oxyporus*, gen. 88. *Paederus*, gen. 89.)

22. *Schaller Act. Hall.*

Abhandlungen der Hallischen naturforschenden Gesellschaft. Erster Band. Dessau und Leipzig 1783. 8. (p. 324.)

23. *Schrank Austr.*

Francisci de Paula Schrank Enumeratio Insectorum Austriae indigenorum, Augustae Vindel. 1781. 8. (*Staphylinus* p. 229.)

24. *Schrank in Fuessl. M.*

Fuessly. Neues Magazin &c. B. II. Zürich 1785. 8. p. 324 — *Schrank.* Verzeichniss der Berchtesgadischen Insekten p. 313.

25. *Schrank Boica.*

Fauna Boica, — Durchgedachte Geschichte der in Baiern einheimischen und zahmen Thiere von *Franz von Paula Schrank.* Erster Band. Nürnberg 1798. 8. (*Staphylinus*, p. 639. *Oxyporus*, p. 651. *Paederus* p. 651.)

26. *Scop. Carn.*

Joh. Ant. Scopoli Entomologia Carniolica. Vindobonae 1763. 8. (*Staphylinus* p. 99.

§. 3.

De corpore atque habitu Coleopterorum Micropterorum.

Corpus insectorum, quae huc relata sunt, statura est magis minusve procera; maxime Lathrobiis, Paederis, Aleocharae *elongatulae* et similibus, Tachyporo *dissimili*, Staphylinis fami-

liae ultimae; minus reliquis Staphylinis, Aleocharis, Oxyporis, Callicero, Stenis et Tachinis familiae secundae. Corpus breve latiusculum Tachinis est familiae primae, Tachyporis familiae secundae, Omaliis, Oxytelis et Anthophagis. Forma etiam propria partium singularium, nec non coniunctio et proportio mutua earum habitum externum commutant. Corpus Tachinorum, Tachypororum et Aleocharарum famil. secundae et tertiae, plurimis continuum est, incisuris vel partium latitudine inaequali haud interruptum, partibus scilicet invicem arcte coniunctis, bene insertis atque accommodatis, quod iam in reliquis generibus rarius obvenit. Paederis praesertim et Stenis, capitibus magnis, thorace latioribus, orbiculatis. thorace rotundato, coleoptris angustiore, et nexu soluto harum partium, habitus est singularis, de habitu cogenerum longe decedens. Capitis, thoracis, coleoptrorum et abdominis latitudo ubique aequalis, Staphylinis familiae ultimae et Lathrobiis, corpus autem latiusculum planiusculum Oxytelis et Omaliis, propria sunt. Thorax et coleoptra Tachypororum et plurimorum e familia prima Tachinorum (e. g. Tachyp. *humeralis, marginelli*) coniunctim unum fornicem exhibent continuum. — De generum et specierum proprietatibus et differentiis reliquis locis aptis exponetur. Quod autem omnibus Coleopteris Micropteris commune est, atque eis habitum externum dat peculiarem, et unde nomen eorum ortum est, coleoptra sunt dimidiata, de quibus infra.

Corpus, vel ubique, vel quibusdam solummodo partibus, vestitum solet esse *pilis*, vel confertis vel rarissimis, vel brevibus vel longis, vel lanuginosis vel setosis, vel mollibus vel rigidis &c. — Corpus quorundam *Staphylinorum* lana densa vesti-

tum est (e. g. St. *hirti*). Multis coleoptra pilis brevibus rigidis, vel erectis vel depressis, obsita sunt (e. g. St. plurimis familiae tertiae, v. c. St. *splendenti*, *aeneo*), saepius sericantibus (e. g. St. *micanti*, *sericeo*). Pili, pari modo sericantes, saepius autem adeo subtiles, ut nitore tantummodo sericante fugaci se prodant, sunt etiam interdum in abdomine, rarissime in capite atque thorace (e. g. St. *micantis* et *albipedis*). Insuper, quaedam huius generis coleoptera, partibus vel locis singulis, pilis coloratis tenuibus ornata sunt (e. g. St. *erythropterus*, *castanopterus*, *pubescens*). Vestimenta autem haec pilosa vel lanuginosa, causis varii generis, aetate, frictione &c. magis minusve deteri possunt; et haud raro individua specierum alias pilosarum vel lanuginosarum, nuda occurrunt. Pili attamen breves rigidi, quibus coleoptra Staphylinorum plurium, margine inferiore, fimbriata esse solent, huic detrimento minus obnoxii sunt. — In genere *Aleochararum* varietas pilorum haud aeque magna est. Plurimis, sicut etiam *Callicero*, ad margines tantum segmentorum pili sunt rigidi et rari. Quaedam, abdomine, rarius superficie tota corporis, pilis brevissimis tenuissimis sericantibus, non nisi oculo bene armato conspicuis, vestitae sunt. Al. *lanuginosa* lanugine tenui tecta est, oculo autem nudo vix conspicua. — *Lathrobia* atque *Paederi* abdomen habent pilis rarioribus singulis rigidis tectum; reliquae corporis partes omnino fere depiles sunt, Paederis attamen *ripario* atque *littorali* exceptis, ubique pilis numerosis rigidis singulis vestitis. — *Tachyporis* et *Tachinis* caput thorax et coleoptra plane sunt depilia; abdomen vero ubique, praecipue tamen ad margines segmentorum, setis valde longis, rigidis, numerosis, singulis, obsitum. — *Omaliis*, *Anthophagis*, *Oxytelis*, *Oxyporis* et *Stenis* corpus est prorsum depile.

§. 4.

De capite.

De partibus singulis horum insectorum ea modo narrabo, quae ad haec sola genera spectant; quae enim omnibus insectis, vel omnibus coleopteris, communia sunt, jam satis cognita pono 1).

Capita id commune habent, ut supra plus minusve convexa, infra autem semper plana sint, quod vel de iis insectis valet, quibus caput plane globosum esse videtur (e. g. Aleocharis plurimis familiae primae). — *Forma* capitum multiplex est. Basi plerumque sunt obtusa, angulis rotundatis; rotundata illis tantum, quorum thorax apice itidem est rotundatus; his caput et thorax solutius coniuncti sunt (e. g. Al. minoribus familiae primae, Paedero *orbiculato* &c.) Capita porro sunt vel longitudine latitudinis, vel latitudine longiora (oblonga), vel longitudine latiora (transversa); haec praecipue St. *maxilloso* et speciminibus quibusdam St. *aenei*, nec non Oxytelis *piceo* atque *carinato*, „capitibus maio„ribus" caeteroquin autem rariora. Caput orbiculatum Tachinorum et Aleochararum transversum esse videtur, cum plerumque magnam partem sub thoracem retractum sit. Capite oblongo plures praeditae sunt species e familiis tertia et quarta Sta-

1) De partibus coleoptrorum vide, inter alia multa: „Neue Beyträge zur Insec„tenkunde von A. W. Knoch. Erster Theil. Leipzig 1801. 8. Einleitung „p. 19 et 59." — Anatomen Staph. erythropteri, et delineationem atque descriptionem partium ejus singularum vide in „Deutschlands Insectenfaune etc. „für das Jahr 1795 von Georg Wolfgang Franz Panzer, Nürnberg 8. min. (Maxillae autem (f. 3* et f. 4*) labium (f. 13) et ultimus antennarum articulus prave delineati sunt).

phylinorum, Lathrobia, Tachini *lunulatus*, *melanocephalus* &c. De hac forma capitis oblonga haec autem notanda sunt: Caput vel ovatum est, lateribus rotundatis, angulis basis obtusis (e. g. Staphylinis huc referendis familiae tertiae et Lathrobiis); vel basi latius, angulis obtusis, apicem versus sensim angustatum (e. g. Staphylinis huc referendis familiae quartae et Tachinis *lunulato*, *atricapillo* &c.). Capitibus longitudine latitudinis latera vel sunt rotundata, quo formam induunt orbicularem (capita orbiculata) e. g. Staphylinis caeteris familiae tertiae, Aleocharis, Paederis &c., vel recta, quo magis formam quadrati induunt (capita quadrata) e. g. Staphylinis plurimis familiae secundae et ultimis familiae quartae. — Notandum est, in quibusdam speciebus familiae tertiae Staphylinorum differentiam capitis orbiculati et ovati haud satis constantem et definitam esse, ita, ut, in characteribus harum specierum distinctivis, ratio eius haberi posset tanquam characteris essentialis. Habeant enim quaedam caput semper orbiculatum (ut St. *splendens*, *aeneus* &c.) quaedam caput semper ovatum (ut St. *politus*, *decorus* &c.), species attamen nonnullae sunt intermediae, quarum capita, speciminibus his, eodem iure ad capita orbiculata referemus, quo, illis, ad capita ovata referimus; haec observamus praecipue in St. *nitido*, *variante*, *sanguinolento*. — Capitis *magnitudo* cum thorace collata, de hac enim sola agitur, valde diversa est: Staphylinis primae secundae et quartae familiae, Paederis, Oxytelis, Oxyporis et Stenis caput est circiter thoracis magnitudine; Staphylinis plurimis familiae tertiae, Aleocharis, Lathrobiis, Omaliis, Tachinis et Tachyporis thorace minus; minimum autem Aleocharis tertiae, Tachyporis secundae et Tachinis primae familiae. Quae autem de magnitudine capitum protuli summatim tantummodo valent. Nulla forsan pars corporis horum insectorum, ratione magnitu-

dinis cum aliis partibus collatae, adeo variabilis est quam caput. Plurimae specierum, de quibus modo dixi, caput eis esse magnitudine circiter thoracis, pervariabiles sunt, et inter copiam maiorem speciminum quaedam occurrunt capite paulo latiore, quaedam capite paulo angustiore quam thorax; quaedam capite thoracis magnitudine. Hanc varietatem praecipue tamen in Oxyporis et quibusdam Oxytelis (e. g. Oxyt. *carinato*, *morsitante*, *caelato*) observavi, ubi perinsignis est 2). Individuis, capitibus maioribus, instrumenta etiam cibaria maiora et validiora erant quam reliquis. — Eamdem variabilem capitis magnitudinem in caeteris quoque Micropterorum speciebus observavi, ipsis in illis, quae capitibus minimis praeditae sunt (e. g. in Tachinis); his autem rarius eam attendimus, cum caput semper sub thoracem latum, convexum, capite multo maiorem retractum sit, et eum numquam, parte tertia magnitudinis, aequet. Quo maius autem caput est, eo magis prosilit, quia sub thorace minore

2) An haec varietas magnitudinis relativae capitis in una eademque specie ad differentiam sexualem respiciat, non audeo diiudicare. Idem autem incrementum sensim auctum, idemque transitus progressivus ab extremo ad extremum, quos aliis etiam partibus (e. g. antennis et tarsis, de quibus infra exponetur), longitudinem et crassitiem earum comparans, vidi, me non fugerunt. Ponamus ergo, hanc differentiam partium cum differentia sexuali in consensu esse; de magnitudine earum gradatim decrescente argumentari licebit, vim stirpem procreandi individuis quibusdam perfectiorem, quibusdam debiliorem esse. Non nisi bis par horum coleopterorum, et quidem Aleocharae Boleti, cuius individua, ratione antennarum et thoracis formae adeo variant, et Steni flavipedis, in copula cepi; ambobus autem mas et femina, colore, partium forma, et magnitudine comparativa, plane congruebant. — Hae differentiae cum nequidem sufficiant ad discernendum marem a femina, uti e praecedentibus mihi persuasum habeo, multo ergo minus characteres praebent duarum vel plurium specierum, speciminibus, uti iam dixi, aliud in aliud transeuntibus.

non abscondi potest; et caput hoc prosiliens insecto dat habitum singularem, quo a caeteris, capite parvo retracto, omnino decedere videtur, et quidem eo magis, si caput basi, thorax apice, rotundati sunt atque collo tenuissimo tantum cohaerent (e. g. Paedero *orbiculato* et plurimis Aleochararum minorum familiae primae). Microptera, quibus caput est minutum, sub thorace absconditum, superne adspecta, capite omnino carere videntur; quod attamen de mortuis solummodo valet, viva enim et se moventia caput protendunt.

Quod ad *superficiem* capitis, varietas rugarum, punctorum &c. in his generibus magna est. Rarissime caput est prorsum laeve, nitidum et glabrum (e. g. Tachinis familiae secundae et Tachyporis), in minimis enim Aleocharis ipsis familiae primae, et Oxyporis, aliquid, rugis vel foveolis simile, inter antennas et interdum etiam pone oculos, deprehendimus, capite reliquo valde glabro et nitido. — Omnibus Staphylinis familiae tertiae et quartae et St. *maxilloso*, nec non Paed. *ripario*, *littorali* et *bicolori*, caput medio laevissimum, nitidissimum, lateribus autem, imprimis in angulis pone oculos, punctis pluribus vel paucioribus, crassioribus vel subtilioribus, impressum est. Staphylinorum reliquorum et Lathrobiorum capita ubique punctis impressis obsita sunt, punctis autem multo crebrioribus, subtilioribus et confertioribus, quam in Staphylinorum familiis tertia et quarta. Stenis caput est crassissime punctum; Aleocharis autem familiarum secundae ad quintam, Tachinis familiae primae, Paed. *orbiculato* et *angustato*, omnium certo subtilissime, ita ut puncta, ope tantum microscopii bene augentis, videri possint. — *Rugas* capitis in his insectis, quorum modo mentionem feci, haud facile deprehendimus, si vero adsunt, saltem perexiguae et plerumque inter antennas sitae sunt. Eo magis capita Oxytelorum,

Omaliorum, Anthophagorum, rugis sulcata sunt, quarum tres vel duae longitudinales distinctae inter antennas sitae sunt. Oxytelis *cornuto* et *tricorni* id praeterea proprium est, ut caput quorumdam speciminum (verisimile maris) cornutum sit, cornubus scilicet duobus porrectis acutis inter antennas ante oculos positis; plurimis vero speciminibus (verisimile feminis) haec arma desunt 3).

Pars capitis anterior, quae, sutura transversali inter antennas, terminata esse solet, et *clypeus* nominatur, plurimis huc relatis insectis, brevis et lata est; longior vero et angustior Tachinis, ita ut caput, apicem versus, sensim angustetur; vel emarginata (e. g. Oxytelis et Oxyporis), vel, idque plurimum, integra.

Oculi, ad latera capitis siti, in variis generibus et speciebus varii etiam sunt; raro exacte orbiculati, plerumque forma irregulari vel magis minusve ovata; Staphylinis plurimis planiusculi parvi immersi (exceptis Staphyl. *tristi*, *boope*, *attenuato*, quorum oculi magni planiusculi sunt) imprimis familiae quartae, porro Lathrobiis, Oxytelis, nonnullis Aleocharis (e. g. Al. *ruficorni*, *lucidae*, *canaliculatae*, *cinnamomeae*, *depressae* &c.), Tachinis familiae secundae, Tachyporis. Oculi Paederorum illis Staphylinorum simillimi sunt, nisi quod paulo magis prosiliant. Oxyporis oculi sunt parvi prosilientes; minus prosilientes Callicero; magni, planiusculi Tachinis familiae primae, nonnullis Aleocharis (e. g. Al. *fuscipedi*, *acutae* &c.) Staphylinis *tristi*, *attenuato* et *boopi*; modici, semiglobosi, Anthophagis et Omaliis; Stenis autem maximi et valde prosilientes.

3) De consensu capitis et thoracis, ratione irregularitatum v. §. 8. not. 1.

§. 5.

De antennis.

Ante oculos *antennae* positae sunt, membra, in variis generibus et speciebus haud minus, et forsan magis, varia et variabilia, quam aliae corporis partes. Constant ex undecim *articulis* et *bulbo*, seu basi vel radice totius antennae, qui, instar articuli exigui atque globosi (et strictissime nihil aliud etiam est, quam articulus primus antennae duodecimarticulatae) maximam partem in capite est absconditus, ita ut vix in speciebus maximis, multo ergo minus in minoribus vel minimis, videri possit. — *Articulus primus* plerumque longissimus est; vix vel paulo tantum articulo ultimo longior Paederis, Oxytelis, Aleocharis, Tachinis, Tachyporis, Anthophagis et Omaliis; longus et validus Staphylinis familiae quartae; Lathrobio *fracticorni* longissimus, longitudine scilicet tertiae partis totius antennae; Callicero autem brevissimus, longitudine tertiae partis articuli ultimi. Quam bre vis autem sit vel quam longus, forma attamen semper magis minusve elongata (longitudine latitudinem superante), clavata, subincurva est, quae, articulo longiori, procerior, articulo breviori, minus procera esse solet. Semper etiam firmior est articulo secundo, imprimis Oxytelis; crassior autem, ullo reliquorum articulorum, illis, quibus antennae filiformes sunt (e. g. Anthophagis) vel extrorsum paulo tantum crassiores (e. g. Tachinis, Tachyporis, quibusdam Staphylinis &c.) vel extrorsum tenuiores (e. g. Staph. *olenti*, *morioni* &c.); illis autem speciebus, quarum antennae, medio vel extrorsum, multo sunt crassiores, quidam articulorum mediorum primum latitudine omnino praestant (e. g. Oxyporis, Oxytelis, nonnullis Aleocharis atque Staphylinis, praecipue Staph. *maxilloso*). — *Articulus secundus* ple-

rumque *tertio* brevior est, raro autem, in unico scilicet solummodo genere Stenorum, haec differentia magna est, et in Lathrobiis, Anthophagis, Tachinis et Callicero vix locum habet; immo quibusdam articulus hic secundus tertio longior et crassior esse videtur, (e. g. Al. *impressae*, *sulcatae*, *gagati*, Staph. *elongato*, *ochraceo*, Oxytelo *tricorni* &c.). Articuli secundus et tertius clavati sunt, saepius autem perbreves (e. g. Callicero) et interdum fere globosi (e. g. Oxyporis).

Respectu *formae*, antennae sunt vel ubique eiusdem crassitiei (filiformes) vel extrorsum crassiores aut graciliores. Haec differentia dependet a forma *articulorum mediorum*, eorumque mutua proportione: Cum autem articuli latiores vel transversi magis minusve compressi sint, ideoque, certo situ, multo angustiores appareant, idem etiam de antennis, quae ex articulis latis compositae sunt, valet, et eaedem antennae, hoc situ multo crassiores, illo autem multo graciliores esse videntur. Articuli medii, seu articuli inter tertium et ultimum siti, vel sunt *campanulati*, vel *pateraeformes*. Ambobus illud est commune, ut apice truncati, basin versus angustati, et basi ipsa rotundati sint; differunt autem eo, ut campanulati latitudine longitudinem haud praestent, pateraeformes autem longitudine sint latiores. Singuli articuli medio apicis articuli praecedentis infixi sunt, basi in stylum brevem terminata, qui vero adeo exiguus est, ut vix cerni possit, praecipue articulis latis antennarum valde brevium et crassarum. Antennis filiformibus articuli medii nunquam pateraeformes sunt, sed campanulati, et vel invicem aequales (e. g. Staph. *simili*, *aeneocephalo*, *splendenti* &c. Lathrobiis) vel longitudine decrescentes (e. g. Anthophagis et quibusdam Tachinis atque Tachyporis). Antennis, apicem versus gracilioribus, articuli medii itidem sunt campanulati, nunquam pateraeformes,

et sensim longitudine et latitudine decrescunt (e. g. St. *olenti, cyaneo, morioni*). Antennis autem extrorsum crassioribus distinguendum est, an sensim crescant, vel apice tantum crassiores, medio autem filiformes, sint: Hoc in Stenorum genere vidimus, quibus articuli antennarum primus et secundus clavati sunt, tertius pergracilis et perlongus, reliqui, inter tertium et sextum, graciles, longitudine vero decrescentes, septimus et octavus latiores atque campanulati, nonus et decimus campanulati, praecedentibus multo latiores, ultimus orbiculatus, latitudine praecedentis. Antennae apicem versus sensim crassiores frequentissimae sunt; graduum autem, quibus haec crassities vel crescit vel decrescit, totidem fere sunt, quot existunt species insectorum huc spectantium. In genere obtinet haec regula: „Articuli „medii sensim latitudine crescunt, ita ut quartus et quintus, in„terdum etiam sextus, campanulati, saepe subglobosi," (Aleoch. *nanae* fere pateraeformes) „sequentes autem semper pateraefor„mes sint, et quidem nonus latior, quam ullus reliquorum." Ab hac regula exceptae sunt antennae Calliceri, quarum articulus decimus cylindrico-campanulatus est, et triplo longior ullo reliquorum articulorum mediorum pateraeformium, qui, longitudine, aequales sunt. Quo breviores et latiores antennae sunt, eo latiores et paterae similiores articulos etiam singulos esse oportet, (confer antennas St. *maxillosi*, Oxypororum, Aleoch. *nanae*, *lucidae*, *fuscipedis*, *fumatae* &c.) Interdum antennarum pars media basi perparum crescit, apicem versus autem multo citius (e. g. Oxytelis, quorum articuli antennarum quartus ad septimum campanulati, octavus autem nonus et decimus pateraeformes sunt). Caeterum mihi liceat adnotare, haec, quae de articulis mediis dixi, generalissima tantummodo esse, si enim in unaquaque levi varietate commorari vellem, mox in nimiam

verbositatem inciderem, praesertim his partibus antennarum, forma adeo variantibus et inconstantibus, ut saepius unius eiusdemque speciei individuis quibusdam campanulatae, quibusdam autem pateraeformes sint (e. g. Staph. *nitidi*, Al. *Boleti* &c.).

Forma, in variis generibus et speciebus multiplici quidem, constantiore autem, ideoque maioris momenti est *articulus ultimus*, seu undecimus. Praecipue in genere Calliceri insignis est, cylindricus nempe et praelongus; longitudine triplo superat articulum primum, longiorem attamen ullo reliquorum, penultimo excepto, et paulo adhuc crassior est. In reliquis autem generibus hic articulus nunquam longissimus simulque validissimus est. Quod ad collationem eius cum articulo primo, vide quae initio huius § dixi; si autem circiter articuli primi longitudine est, crassitie etiam ei non cedit. Latior articulo medio latissimo fere nunquam est et solo Paedero *angustato* articulos medios singulos hoc respectu superat; alias, antennis vel extrorsum crassioribus, ad summum latitudine articuli penultimi est. — *Forma* eius plerumque ovata est, apice acuto, interdum formae globosae propior, apice acuto (e. g. Oxytelis, Stenis); vel brevis, subcampanulata, apice oblique seu parabolice truncato, quae solis Staphylinis familiarum trium primarum propria est. Staphylinis attamen quibusdam e familia tertia, illis praecipue, qui, ratione formae thoracis, jam reliquis e familia quarta affines sunt, haec articuli ultimi antennarum forma magis minusve submutatur, et in subovatam, apice vel rotundato - obtuso vel subacuto transit. Cavendum autem est, ne error obveniat: Cum enim hic articulus, si latior est, apicem versus compressus sit, forma ejus, a variis partibus visa, varia etiam est, a duabus scilicet brevis, apice oblique truncato, a duabus autem ovata,

apice acuto; ego semper latitudinem maximam respexi. Id, quod monendum erat, quo errores et contradictiones evitarentur.

Longitudo antennarum, cum aliis corporis partibus collata, non solum in speciebus, sed in ipsis speciei unius eiusdemque speciminibus, aeque variabilis et multiplex est, ac earum crassities 1), quod praesertim in Aleochara *Boleti* et Staph. *nitido*, observavi,

1) Quibusdam Coleopterorum Macropterorum speciebus longitudinem et crassitiem antennarum maiorem vel minorem characterem distinctivum sexus sistere fertur (e. g. Cerambycibus) et quibusdam veritas huius opinionis experientia quotidiana probatur (e g. Melolontha vulgari, cuius individua, „lamellis antennarum „maioribus," quod omnes scimus, mares, „lamellis antennarum minoribus," feminae sunt). Dubito, an idem de illis Coleopterorum Micropterorum speciebus statuendum sit; quarum individua antennis longioribus tenuioribusque et brevioribus crassioribusque variant. De antennis Aleoch. Boleti et Staph. nitidi, quorum magnam speciminum copiam legi, affirmare saltem possum, eas sensim, tam longitudine quam crassitie, decrescere, sexus ergo differentiam haud distinctam et, certa longitudine vel crassitie, definitam exhibere, quod eo maiore fiducia asserere audeo, cum ipse par Aleoch. Boleti, copula iunctum, prehenderim, quo autem nullam, ne minimam quidem, differentiam externam inter marem et feminam observo — Hac occasione aliam adhuc notam addere mihi liceat: Quibusdam Coleopterorum Macropterorum speciebus latitudinem tarsorum anticorum maiorem vel minorem differentiae sexuali respondere ferunt. Sunt etiam species Coleopterorum Micropterorum, nominatim Staphylinorum familiae tertiae, quarum individua tarsis anticis dilatatis et gracilibus variant. Omnino non credo, hanc differentiam ad differentiam sexus respicere (vide §. 10. not. 2); nullo modo autem antennarum longitudo et crassitudo, una cum tarsorum anticorum latitudine vel gracilitate, ad differentiam sexualem respiciunt, cum inter antennas et tarsos, illo respectu, plane nullus consensus sit, et proportio eorum mutua nullis firmis et certis regulis respondeat: E. g. Staph. nitidi individua occurrunt vel, „antennis brevibus crassis, tarsis anticis „dilatatis," vel „antennis longis gracilibus, tarsis anticis gracilibus," vel „antennis longis gracilibus, tarsis brevibus latis," vel „antennis brevibus crassis, „tarsis anticis gracilibus longis."

quorum copiam magnam legi, ita ut generalia huius proportionis hic non dare possim, specialia autem generum atque specierum descriptionibus iunxero.

§. 6.
De partibus oris.

Partes oris, seu *instrumenta cibaria*, quae nunc examinabo, attentione et diligentia maxima digna sunt, cum partim, ratione oeconomiae insectorum, tanti sint momenti, partim autem, ob multiplicem simulque constantem formam et proportionem, apta sint ad characteres genericos praebendos. Hae partes sunt: Labrum, mandibulae, maxillae cum palpis anterioribus, labium cum palpis posterioribus, et mentum.

Labrum 1) longitudine est latius; Tachinis autem angustius, quam reliquis generibus; Paedero *orbiculato*, caeteris paribus, maius, margine antico integro, quo capitis pars anterior dilatatur et producitur. Reliquis horum insectorum generibus labrum, quantum mihi observare licuit, margine antico magis minusve emarginatum, seu incisum, et interdum in duos lobos (clypeus, verrucis binis setosis, *Panzer*) fissum est, quod in Staph. *olente*, *polito*, Lathrobio *brunnipede* et Oxyporis, satis distincte animadverti. Margine setis crebrioribus, haud vero confertis, ciliatum est.

Mandibulae apice incurvae et acutae sunt; dorso laeves, integrae, nudae, arcuatae, interdum planiusculae ita ut margines

1) Haec oris pars, quam Illiger primus labrum nominavit, a pluribus auctoribus labium superius appellatur, atque eadem est, quam Panzer (Fig. IX, tab. XII libelli entomologici, supra iam allegati) sub nomine „Clypeus, „verrucis binis setosis" exhibuit.

duo distincti dorsum et latera mandibulae definiant. — *Margo interior* mandibulae duplex et acutus est; intervallum, inter hunc marginem duplicem, alveatum est et eo latius vel angustius, quo latior vel angustior mandibula tota est. *Oxytelis piceo, carinato tricorni* unus horum marginum interiorum adeo retrocedit, ut dens introrsum versus huius marginis a dorso oriri videatur. Quorundam horum coleopterorum mandibulae, margine interiore, *dentibus* armatae sunt, quorundam autem *inermes*, et hae, sine exceptione, breves, latae, apicem versus sensim angustiores (e. g. Tachini *rufipedis*, Aleoch. *fuscipedis*, *canaliculatae*, Tachyp. *analis*). Mandibulae dentatae plerumque graciliores sunt; in genere Stenorum gracillimae et falcatae, apice profunde incisae, vel, si mavis, dente longo acuto subcurvato, apici propiore, armatae; paulo latiores St. *olentis*, *politi*, *maxillosi*, *erythropteri*, nec non Paed. *littoralis* et *riparii*, medio marginis interioris dente porrecto subobtusiusculo armatae; Oxypororum et Lathrobii *elongati*, dentibus duobus; Paed. *orbiculati*, dentibus tribus vel quatuor. Mandibulae Oxytel. *picei*, *carinati* et *tricornis*, forma, illis Aleochararum, Tachinorum &c. similes, apice eodem modo incisae sunt, quo in Stenorum genere; Calliceri exsertae, paulo angustiores quam Aleocharis, margine autem interiore denticulatae, Staph. *stercorarii* breves, crassae, latae, marginis interni medio dentibus validis brevibus armatae. — Mandibulae autem ambae nunquam invicem omnino aequales et similes sunt: Irregularitates et flexiones earum ita sitae sunt, ut alterae alteris respondeant, i. e. ut, coniunctis et complicatis mandibulis, tuberculi, seu dentes, seu convexitates unius, in foveolas, seu incisiones, seu concavitates alterius inserantur, &c. quo haec instrumenta aptiora redduntur ad rapinam et cibum tenendum et comminuendum. Inde dentium numerus et situs

varii quarumdam specierum, (Paed. *orbiculati* mandibula altera quadridentata est, altera tridentata; Staph. *stercorarii* altera tridentata, altera bidentata) et quidem ita, ut mandibula sinistra, capite scilicet superne viso, dentibus semper pluribus instructa sit, quam dextra.

Maxillae constant e *basi* et duobus *processibus*. — Illa est forma irregulari, angulata, subquadrata, radice latior, difficilis descriptu. — *Processus interior*, qui ad latus internum basis oritur, altius autem illa ascendit, compressus est, medio latissimus ventricosus, apicem et basin versus angustatus; dorso, seu margine extero, qui basi adjacet, recto, laevi, nudo; margine interno medio ventricoso, apicem versus ciliis brevibus pectinato, interdum etiam basin versus ciliis fimbriato (e. g. St. *polito*, Paedero *orbiculato*). — *Processus exterior* insidet in apice truncato basis; forma est clavata, plerumque subincurva, interdum ensiformi (e. g. Lathrob. *elongato*); apice setis densis seu ciliis incumbentibus vestitus; coloratu et crassitie substantiae membranaceae variis in areas tres divisus, quarum media reliquis obscurior esse solet 2).

2) Quibusdam horum coleopterorum hic processus, longitudine et arearum coloratu, palpum triarticulatum mentitur (e. g. Staph. olenti, erythroptero, Lathrob. elongato etc. multis), et facile pro palpo vero haberi potest. Examine autem diligentiore, et comparatione inter palpos et processus maxillae plurium insectorum, institutis, haud difficile dignoscendum et oculis aeque ac verbis distinguendum erit, quid sit palpus verus, quid processus maxillae: Palpus, articulis pluribus corneis, vi motus proprii instructis, compositus, maxillae ita insertus est, ut, maxilla ipsa quiescente, quoquoversus et velociter se movere possit; articulus eius ultimus numquam pilis vestitus, sed laevissimus est; interdum articulus primus, et plerumque articulorum mediorum et primi apices setis quibusdam, haud vero confertis, vestiti sunt. Processus exterior maxillae membranaceus est, numquam articulatus, nec ita maxillae inser-

Palpi anteriores singuli apici basis maxillarum, immediate ante processum exteriorem, inserti sunt, et proveniunt e tuberculo exiguo, haud confundendo cum articulo palporum primo brevi. Raro triarticulati sunt (Stenis nempe, Paederis et Callicero); plerumque quadriarticulati. — *Articulus primus*, brevis, clavatus, numquam parte quarta articuli secundi longior est. *Articulus secundus* clavatus, tertio numquam brevior plerumque autem paulo longior est (e. g. Oxyporis, Staph. *olenti*, *maxilloso*, *polito*, *stercorario*, Oxytelo *piceo*, Tachino *rufipedi*). *Articulus tertius* etiam clavatus est et, si ipse ultimus est (e. g. Callicero, Paederis, Stenis), aut si articulus quartus pertenuis est, (e. g. Aleocharis, Lathrobiis, Oxytelis) praevalidus. — *Articulus quartus* forma est multiplici: 1) Vel nihilo vel paulo tantum angustior penultimo, ovatus, et quidem apice vel obtusus (Staph. familiae primae et Staph. majoribus familiae secundae) vel acutus (Staph. reliquis, Oxyporis, Tachinis, Omaliis, Pinophilo): 2) penultimo latior, securiformis (Astrapaeo): 3) brevis, tenuis, multo gracilior penultimo, subuliformis (omnibus reliquis Coleopterorum Micropterorum generibus.

Palpi posteriores triarticulati, dorso seu superficiei externae labii inserti sunt, et proveniunt e tuberculo, quod, radice prolongata, articulo proprio simile, motus autem spontanei haud potens est. *Articulus primus* minor est, et forma brevi clavata; *secundus* clavatus, plerumque reliquis longior, quod autem in Staph. *polito*, *erythroptero*, *ster-*

sertus, ut per se moveri posset, et si interdum motus spontanei compos esse videtur, hic motus effectus substantiae ejus flexibilis est, quae pressioni cedit. — Maxillae, palpis duobus veris instructae, sunt Carabis, Dyticis, Cicindelis, Cychris, Forficulae auricularae etc. — Plura, huc pertinentia vide §. 2. not. 1.

ovario, Stenis, Tachino *rufipede*, Aleoch. *canaliculata*, Oxytelis *piceo*, *carinato* et *tricorni*, Latrob. *elongato* nullius est momenti, quibus articuli primus et secundus fere eiusdem longitudinis sunt; articulus *ultimus* vel de articulo ultimo palporum anteriorum, forma, decedit (e. g. Oxyporis, Paederis, Stenis et Callicero), vel ei aequalis est (in reliquis generibus) 3).

Mentum corneum plurimis generibus longitudine latius est, et quidem apice, cui labium insidet, latissimum, truncatum, integrum, gulam versus angustatum; Oxyporis autem et Stenis latitudine longius et rhomboidale. — Alia quaedam de mento vide in nota 4).

3) Palpi anteriores semper sub capite magis minusve prominent, ipsis etiam maxillis, quibus inserti sunt, absconditis. Palpi posteriores, multo quidem anterioribus breviores sunt; porrectis autem, articulus saltem ultimus commode et sine noxa insecti observari et examinari potest. Cum autem forma articulorum ultimorum adeo sit multiplex, nec attamen in speciebus varians, ab ea praecipue characteres genericos desumsi. — Palpi filiformes sunt ubique eiusdem crassitiei, articulis primis clavatis, ultimo ovato; securidacei, articulis primis clavatis, ultimo triangulari vel securiformi, praecedentibus latiore; acuminati, articulo ultimo subuliformi, multo breviore et tenuiore quam penultimus.

4) Cum hoc loco quaedam de differentia labii et menti addere mihi propositum sit, non possum quin indicem, me, in denominatione oris partium, Don. Illiger secutum esse, qui illas in praefatione ad „Enumerationem Co„leopterorum Borussiae" (Verzeichniss der Käfer Preussens, entworfen von Joh. Gottl. Kugelann, ausgearbeitet von Joh. Karl Wilhelm Illiger etc. Halle 1798. 8.) p. XXXIV sq. plane et distincte descripsit. Primus etiam labium et mentum distinxit, et definitionem harum partium multo faciliorem reddidit. — Fabricius, in scriptis primis Entomologicis, sub labio inferiore mentum simul et labium comprehendit, hoc autem pro processu interno linguaeformi illius habuit, quod patet e verbis eius propriis, „Labia horizon„talia, os superne inferneque tegentia; ultimo interdum elongato in linguae

Labium, superficiei internae et apici menti adnatum, multo autem altius ascendit quam illud; membranaceum est, lateribus autem et sub palpis substantia multo crassiore. Non vero audeo, de forma eius aliquid certi dicere velle, quia iure dubito, labia, insectorum, quae examinavi, integra fuisse, cum saepius apice, parte eorum longe tenuissima, adeo irregularia seu lacerata vel

„lacinias interiores" (Vide I. C. Fabricii Systema Entomologiae — in Prolegomenis. — I. C. Fabricii Entomologia Systematica. Tom. I in praefatione, p. V). Mentum ergo et labium sub universali nomine „labii inferioris" comprehendens, cum labii apicis mentionem faceret, tum de apice menti, labio scilicet proprie sic dicto deficiente, vel oculis eius latente, loquebatur, quod plane apparet e comparatione operis eius recentissimi (I. C. Fabricii Systema Eleutheratorum. Tom. I. Kiliae 1801. 8.) cum operibus praecedentibus. In illo enim partes easdem seiunxit, quas Illiger iam ante eum, sub nominibus menti et labii distinxerat, illud autem labium, hoc ligula appellavit; et saepius legimus „ligula trifida, ligula bifida, ligula integra" ubi in scriptis prioribus eiusdem auctoris de „labio trifido, labio bifido „labio integro" locutum est; saepius autem „labium emarginatum, ligula nulla, „labium cylindricum, labium integrum" etc. ubi, quoque in Entomologia systematica, „labium emarginatum, labium cylindricum, labium integrum" legimus. „Penicilli duo" Lucani, qui sunt „ligula bifida penicillata" Lucani (in Syst. Eleutherat.) labium sunt. — Differentiam inter labium et mentum Dom. Sturm figuris diligentissime sculptis quatuor tabularum, quas libello entomologico (Verzeichniss meiner Insectensammlung etc. von Jacob Sturm. Erstes Heft, Nürnberg 1800. 8.) adiunxit, perclare proposuit. Insecta, et instrumenta eorum cibaria, tabulis illis exhibita, ab insectis, quae hic tractantur, longe quidem discrepant; sed collatione partium multa iam clariora redduntur. Maximis praeterea Staphylinis, colore nigro seu obscuro, nihil facilius est, quam mentum et labium discernere, cum nonsolum substantia, illius scilicet cornea, huius membranacea, sed ipso colore, menti nigro, labii flavo, differant. — Confer quae Prof. Knoch, in opere supra iam allegato, (Neue Beyträge zur Insectenkunde von A. W. Knoch. Erster Theil. Leipzig 1801 — Einleitung) de ore disseruit.

corrugata apparerent, ut non credere possim, me illa sub forma eorum propria et naturali vidisse. Attamen „ligulam emarginatam cum mucrone" (Fabr.) Oxypori, nec non „ligulam cylindricam integram" Paederi (Fabr.) vidi, haud vero „ligulam trifidam" Staphylinorum (Fabr.) e quibus Staph. *maxillosum*, *olentem*, *stercorarium* et *politum* examinavi, labium autem nunquam fissum conspexi. Ea labii pars, quae infra palpos posteriores sita est, Paed. *ripario* et *orbiculato*, Tachino *rufipedi*, Aleoch. *fuscipedi* et *canaliculatae*, Oxytelis *carinato* et *tricorni*, longitudine latior, forma rectanguli, erat; Staph. *polito*, *maxilloso*, *olenti*, Lathrob. *elongato*, basi latissima, apicem versus sensim angustata; e contrario, apice latissima, basin versus sensim angustata, Stenis erat 5). — In superficie interna labii partes duas conspicimus, *pectinibus* similes, quorum dentes perpendiculariter in superficie interna labii erecti sunt 6). Hi pectines, situ, formae labii respondentes, in Staph. *maxilloso* et Lathr. *elongato*, quorum labia accuratius examinare potui, coniunctim figuram anguli acuti exhibent cuius apex gulam versus spectat. — Labium, cum palpis et his pectinibus, a latere visum, exacte maxillam repraesentat, cum pectines, substantia et figura, omnino processui interno maxillae similes sint, et solo defectu processus exterioris ab illa differt 7).

5) In characteribus genericis nunquam labii rationem habui, praecipue eam ob causam, quod de vera huius partis figura saepe nimis incertus essem, et quod ab illa labii parte, quae pone palpos ascendit, parte adeo tenui, quae facillime vulnerari aut deformari possit, characterem genericum nollem desumere.

6) Ligula, laciniis linearibus intus dentatis, Copris Fabr. — Confer tabulas in libello Entomologico Sturmii, quem iam in nota 4) huius § allegavi.

7) Labium ergo, cum duobus palpis in superficie externa, et duobus pectinibus

§. 7.

De Thorace.

Thorax, circumdatus *canalicula marginali*, quae instar sulculi angusti, in speciebus minimis vix conspicui, totum thoracem ambit, margine autem anteriore fere evanescit. — Infra hanc canaliculam thorax adhuc paululum continuatur, quae continuatio, *ora lateralis* a me appellata, aeque ac thorax, canalicula marginali propria circumdata est, semper autem laevissima nitidissima, licet thorax vel confertissime punctus sit (e. g. Staphylinis familiae secundae). Stenis solis haud minus confertim et crasse puncta est, quam reliquae thoracis partes. Plerumque orae laterales cum thorace proprio angulum exhibent acutum; acutissimum autem, oris nempe lateralibus omnino fere ad superficiem inferam thoracis reflexis, in Tachyporis, Tachinis, Aleoch. *fuscipede*, *ruficorni* &c., ut paucis dicam, in omnibus illis, quorum thorax latus valde convexus atque lateribus deflexus est. Inde Staphylinis, Aleocharis familiae primae &c. hic angulus minus est acutus; rectus, Oxyporis, Paederis, Lathrobiis; obtusissimus Stenis, quorum thorax nulla canalicula marginali circumdatur, sed lateribus linea solummodo subelevata obsoleta ab ora laterali separatur. Forma orae lateralis duplex est; ple-

in superficie interna, omnino cum maxilla duplici comparari potest, et, secundum analogiam, meliore forsan iure maxilla nominaretur, cum tam ratione situs et motus adscendentis et descendentis, quam serie duplici dentium superficiei internae, maxillae reliquorum animalium melius respondeat, quam illae partes oris coleopterorum, quae hactenus maxillae nominatae sunt. — Cum autem permutationem harum denominationum multae confusiones sequi possent, et certo sequerentur, nomina usitata partium oris servavi, et nihil magis opto, quam quod quisque ea servet.

rumque scilicet linearis, apicem versus angustata; Lathrobiis vero, Oxyporis et Paederis triangularis, basi latissima.

Thorax proprius, seu pars thoracis supera, semper magis minusve convexus est; disco enim deplanato, latera saltem declinata sunt (e. g. Aleoch. *depressae* et *deplanatae*); lateribus autem planiusculis, discus convexus est, (e. g. Omaliis, Aleocharae *strumosae* &c.). Thorax planissimus illis generibus est, quae, habitu toto, valde plana sunt (e. g. Oxytelis, Omaliis); convexissimus Tachyporis et quibusdam Aleocharis (e. g. Al. *fuscipedi*, *lanuginosae*, *bipunctatae*, *nitidae* et affinibus). Latera thoracis nominantur vel *declivia*, vel *deflexa*, vel *declinata* quo magis vel minus, quo abruptius vel lenius descendunt. — *Forma* thoracis, vel eius circuitus, in generibus variis varia etiam est: *Orbiculatus* thorax est quibusdam Aleocharis familiae secundae; *subquadratus*, angulis obtusis, margine basis rotundato, Staphylinis familiae secundae; *suborbiculatus*, margine apicis truncato, Staphylinis familiae tertiae; *subrectangulus*, angulis obtusis, Staphylinis familiae quartae et Lathrobiis; longitudine latior, seu *transversus*, Tachinis, Omaliis, et plurimis Tachyporis atque Oxytelis; *fusiformis*, vel subcylindricus medio paulo latior, Stenis plurimis; *globosus*, Aleocharis familiae primae et nonnullis Paederis; *cordatus*, seu apice latior, basin versus angustatus, Anthophagis. Superfluum autem foret, de unaquaque differentia formae thoracis, quae in singulis speciebus magis minusve diversa est, hic iam loqui, cum infra, in descriptione specierum, omnia repeterentur. — De proportione thoracis ad caput supra (§. 4.) iam locutus sum.

Quod adhuc memorandum est spectat ad *irregularitates* thoracis. Thorax nempe: 1) totus est glaber, laevis, sine ulla irregularitate, Tachinis et Tachyporis; 2) punctis subtilissimis

oculo non bene armato vix conspicuis, sparsus 1) (e. g. Tachino *rufipedi* &c. Aleoch. *fuscipedi*, *lanuginosae* &c.) 3) punctis, nudo oculo conspicuis, confertis, impressus (e. g. Staphylinis plurimis familiae secundae, Lathrobiis, Oxytelo *tricorni* &c.). His autem coleopteris linea est thoracis media longitudinalis, laevissima, nitida, interdum nudis oculis vix conspicua vel obsoleta, praecipue, si thorax confertissime atque subtilissime punctus est (e. g. quibusdam Staphylinis familiae secundae), interdum autem latissima, si thorax punctis quidem multis, haud vero confertis, impressus est (e. g. quibusdam Lathrobiis). Staphylinus olens, solus inter Staphylinos indigenos, hac linea longitudinali thoracis caret, et nunquam ne vestigium quidem eius vidi, quamquam thorax subtilissime et confertissime punctus est. 4) Staphylinis familiarum tertiae et quartae thorax est laevis nitidus, et plerumque seriebus punctorum longitudinalibus impressus. Hae series distinctae et, ipso punctorum numero, constantes esse solent, ita ut ab hoc characterem distinctivum specierum desumere ausus sim. — Series autem duae mediae, quas *series dorsales* appello, characteres optimos praebent, et punctorum, e quibus finguntur, in speciebus variis, sunt tria ad duodeviginti. — Fere sine ulla exceptione, juxta harum serierum singulam altera est, itidem longitudinalis, plerumque autem magis minusve arcuata, arcus convexitate intus versa, punctis duobus ad octo constans; hae series sunt illae, quas *series laterales* appello. — Immediate ante canaliculam marginalem lateralem, puncta sunt plerumque duo, rarius tria vel quatuor distincta, e quibus, utro-

1) Forsan corpora omnium coleopterorum punctis subtilissimis sparsa sunt, quae autem, in minimis, ope tantum microscopii multo augentis deprehendi possunt.

que thoracis latere, *series marginalis* composita est. — Hae series thoracis ita dispositae sunt, ut, in regula, numerus punctorum seriei dorsalis maior sit numero punctorum seriei lateralis, et hic maior numero punctorum seriei marginalis; exceptis attamen Staph. *elongato* et *glabro*, quorum series dorsales et laterales, numero punctorum, aequales sunt. Series thoracum elongatorum Staphylinorum familiae quartae e punctis longe pluribus compositae sunt, quam series thoracum orbiculatorum breviorum Staphylinorum familiae tertiae, ita, ut numerus minimus punctorum thoracis in familia quarta, maximus sit in familia tertia (nulla scilicet ratione habita Staphylinorum, quorum thorax haud puncto-striatus est). In familia quarta Staphylinis quibusdam (e. g. Staph. *ochraceo*, *elongato*) series lateralis, septem-vel octo-puncta, et series marginalis, tri-vel quadripuncta, apice ita incurvatae sunt, ut jungantur, et junctim figuram pedi episcopalis exhibeant. — Quod de seriebus punctorum thoracis summatim dixi, de plurimis tantummodo, non de omnibus, Staphylinis familiae quartae obtinet; nulla enim regula sine exceptione: Sunt Staphylini nonnulli, quibus thorax punctis paucis sparsis impressus est (e. g. St. *splendenti*, *laminato*, *fulminanti*, *alternanti*); Staph. *puncto* thorax est lateribus multipunctus, punctis haud in series dispositis, seriebus autem dorsalibus distinctis, octo-ad decempunctis; item Staph. *rufipenni* thorax est multipunctus, punctis autem disparsis. — 5) Tandem thorax quibusdam Micropteris sulcatus est vel foveolatus, idque diversimodo: Est vel laevis, dorso sulco uno longitudinali canaliculatus, (e. g. Oxytelo *morsitanti*, Aleocharis *obscurae* et *sulcatae*); vel laevis, basi quibusdam foveolis longitudinalibus abbreviatis impressus (e. g. Al. *impressae*, *gagati*); vel crasse punctus, sulcis et foveis longitudinalibus, longitudine thoracis, exaratus, (e. g. Oxyte-

lis *piceo*, *carinato* &c. Omaliis pluribus &c.); Omalio *rugoso* autem sulculis abbreviatis rugosus; vel foveola parva orbiculata ante scutellum impressa (e. g. Aleocharis pluribus). — Alias impressiones thoracis, vel minus notatu dignas vel rariores, hic praetermitto, et in singulis speciebus adnotabo. Quaedam autem huc spectantia, imprimis ratione consensus inter caput et thoracem, vide §. 8.

§. 8.

De coleoptris et alis.

Coleoptra, forma; minus sunt multifaria quam thorax. In situ naturali quieto vel sunt *transversa* (longitudine latiora), lateribus parallelis (e. g. Staph. *simili*, Aleocharis familiae tertiae) vel *rectangula* (latitudine longiora) (e. g. Staph. familiae quartae, Paedero *ripario*, Lathrobiis, Omaliis, Anthophagis &c.) vel *quadrata* (longitudine latitudinis) (e. g. Staphylinis plurimis, Aleocharis familiarum primae et secundae, Oxytelis). Pectoris semper sunt *latitudine*, quae autem, cum latitudine aliarum corporis partium collata, multiplex est: Coleoptra, thorace multo angustiora, his insectis nunquam inveniuntur; latiora autem sunt Paederis, Oxyporis, Stenis et praecipue plurimis Aleocharis familiae primae. Respectu *longitudinis* relativae, coleoptra optime cum thorace comparari possunt: Longissima sunt Omaliis et Anthophagis, quorum coleoptra, longitudine et latitudine, thoracem saepius duplo superant; breviora quidem, thorace attamen longiora, Tachinis, Tachyporis, Oxyporis, Oxytelis; reliquis longitudine circiter thoracis. Coleoptra, respectu longitudinis, cum abdomine conferre, eam ob causam non censeo, quod quaedam horum insectorum, morte, abdomen saepius

contrahere soleant, ita ut multo abbrevietur, quo ergo proportio longitudinis harum partium valde mutatur et variatur; Tachinis autem, Tachyporis, Omaliis familiae secundae et Anthophagis, abdomen maximam partem a coleoptris tegitur; Aleocharis vero, Staphylinis, Paederis &c. minimam partem. — Coleoptra plerumque sunt planiuscula, eoque magis, quo magis totum corpus deplanatum est (e. g. Oxytelis, Omaliis), eoque minus, quo minus illud deplanatum est (e. g. Tachyporis et Tachinis). — *Elytra* apice truncata sunt, plerumque oblique, ita, ut margo suturalis margine laterali brevior sit, angulis exterioribus apicis magis minusve rotundatis, praecipue Aleoch. *fuscipedi*, Staph. *simili*, *olenti* &c., omnibusque illis Micropteris, quorum coleoptra perbrevia sunt, nec e. g. Tachyporis, Tachinis, minime autem Omaliis, quorum elytra, e contrario, ita truncata sunt, ut margo suturalis margine laterali longior, immo, Omalio *Ranunculi*, praeterea productus seu appendiculatus sit. — Coleoptra marginibus lateralibus deflexa sunt, angulo attamen haud acuto, sicut orae laterales thoracis, sed pars ista deflexa, nec margine distincto acuto, seu linea elevata, nec canalicula marginali, separata, substantia, irregularitatibus vel laevitate, coleoptrorum superficiei aequalis est, nec in essentialibus ab illa diversa. — *Humerus*, in angulo elytrorum basis exteriore, pars altior elytrorum esse et, instar gibbuli, eminere solet; in generibus autem, quorum coleoptra convexa sunt, (e. g. Tachinis et Tachyporis) vix paululum prominet. — Reliquae coleoptrorum *irregularitates* sunt vel puncta, vel cicatriculae, vel sulculi, vel lineae impressae. — *Puncta*, omnium frequentissimae, vel subtilissima sunt et confertissima (e. g. Staphylinis familiae secundae, Aleocharis &c.); vel crassiora et minus conferta (e. g. Staphylinis plurimis familiae tertiae, Lathrobiis, Paederis, Oxyte-

lis plurimis, et praecipue Stenis); vel in series disposita (e. g. Staph. *impresso*, *elongato*, *ochraceo*, Omal. *rugoso*, *crenato*, *brunneo*, *striato*) seriebus autem raro distinctis, cum puncta passim vel in lineas impressas subconfluant (e. g. Omaliis *rugoso* et *crenato*), vel dispergantur et vix vestigium serierum relinquant (e. g. Staph. *ochraceo*, Omalio *brunneo* &c.); vel in disco solo elytrorum dispersa, (e. g. Oxyporis) 1). — *Cicatriculosa*, seu punctis

1) Hoc loco non possum non mentionem facere consensus inter caput thoracem et coleoptra, ratione punctorum rugarum vel aliarum irregularitatum superficiei eorum: Si una harum partium prorsum est laevis et glabra, duae etiam alterae laeves et glabrae esse solent (e. g. Tachyporis, Tachinis familiae primae etc.). Coleoptris punctis, caput etiam et thorax punctis impressi erunt, haud vero semper eodem modo, sed, capite subtiliter et confertim puncto, thorax etiam et coleoptra subtiliter et confertim puncta sunt (e. g. Staphylinis familiae secundae, Aleocharis familiarum tertiae et secundae multis); capiti thoracique, subtilissime et confertissime punctis, Staphylinorum plurimorum familiae secundae, linea media est longitudinalis laevis nitida, Staph. olente attamen excepto, qui hac linea caret, etsi caput et thorax eius punctulatissimi sunt; capite lateribus tantummodo puncto, thoracis etiam latera sola puncta sunt, punctis autem plerumque regulariter et in series positis, (e. g. Staphylinis familiarum tertiae et quartae), coleoptra vero ubique puncta sunt, punctis interdum in series subdispositis, (e. g. Staph. elongato, ochraceo.) Immo, puncta capitis, quantitate et qualitate, punctis thoracis respondent, ita, ut, illis subtilibus et frequentibus, vel crassioribus et crebrioribus, haec etiam subtilia et frequentia, vel crassiora et crebriora sint, et vice versa, (confer Staphylinorum et Lathrobiorum species). Stenis caput, thorax et coleoptra punctis confertis crassis obsita sunt. Capite rugis exarato, thorax etiam rugosus esse solet (e. g. Oxytelis, Omaliis). Oxyteli tricornis caput et thorax, quibusdam speciminibus, armati, quibusdam, inermes sunt. — Quod autem hactenus de consensu capitis thoracis et coleoptrorum dixi, summatim solummodo valet, et „nulla regula sine exceptione:“ Inter omnia Coleoptera Microptera nullum occurrit coleoptris cornutis, aliove modo armatis, quamquam quibusdam caput vel caput et thorax armati sunt (e. g. Oxytel. cornu-

irregularibus, subconfluentibus impressa, elytra sunt Oxytel. *picei*, *carinati*. — *Sulculi* nonnulli longitudinales, valde autem breves, basi coleoptrorum Aleoch. *impressae* et *gagatis* insculpti sunt. — *Lineae* longitudine totius elytri, in his generibus haud reperiuntur, lineis duabus coleoptrorum parallelis, juxta suturam sitis, exceptis, quae omnibus fere horum insectorum speciebus communes sunt; praeterea elytris Oxypororum, disco, lineae duae longitudinales, abbreviatae, subobliquae, impressae sunt; et vestigium harum linearum quibusdam etiam Tachinis familiae secundae superest, lineis nempe vel obsoletis et interruptis, vel in puncta tria remota dissolutis.

De alis.

Sub coleoptris *alae*, situ naturali quiescente, artificiose complicatae, absconditae sunt, spatio perexiguo, cum, explicatae, multo longiores et latiores toto corpore sint. *Membranula* earum multo crassior est quam membranula alarum Forficulae *auriculariae*, et modo multo simpliciore, *costis* paucis, explicantur et complicantur 2). Tres harum costarum oriuntur basi alae, ex

to et tricorni, Anthophago armigero). Porro, Oxyporis et quibusdam Tachinis familiae secundae elytra sunt disco puncta et striata, capite thoraceque laevissimis.

2) Nec miramur, uti in alis Forficulae auriculariae, multitudinem, tenuitatem, ordinem costarum et ligamentorum, quae membranulam subtilissimam sustinent, nec effectum musculorum et nervorum invisibilium, qui, mechanismo artificiosissimo, costas illas, medio geniculatas, regunt, expandunt, retrahunt, et ope earum, alam explicant, vel complicant et sub coleoptra occultant. — (Confer. Memoires etc. par C. De Geer T. III. Mem. XII. p. 544. — Bonnets Abhandlungen aus der Insektologie, übersetzt von J. A. E. Göze, pag.

ea parte, quae cum trunco corporis cohaeret, apicem versus attenuantur, et fine omnino evanescunt. Prima, sicdicta *marginalis*, ipse margo superior alae est, et in apice alae desinit; valida est, medio lata plerumque colorata, apicem versus attenuata. Secunda, seu *furcata*, ortu simplex, mox in duos ramos discedit, qui in margine inferiore alae, superior autem apici propior, inferior in medio marginis, desinunt. Tertia, quam *brevem* apello, desinit eo, ubi margo basis alae et margo inferior alae coniunguntur, multo est brevior quam costae furcata et marginalis, et, cum margine basis alae, exiguam tantummodo partem membranulae includit. — Hae tres costae, quae e radice alarum oriuntur, distinctae sunt, et omnibus Coleopteris Micropteris communes esse videntur. Interdum autem ab illis, tanquam ramuli a trunco, quaedam costae breviores et graciliores proficiscuntur, numero et directione variis, quas autem hic praetereo, cum parvi momenti sint.

§. 9.

De trunco corporis.

Truncus corporis, i. e. corpus, capite thorace et caeteris membris privatum, constat *pectore* et *abdomine*.

Pectus, incisura laterali, ab abdomine separatum, supra tumidiusculum est, post mortem insecti autem exsiccatum et collapsum, alis et coleoptris omnino tectum; infra pedibus posterioribus instructum (vide §. 10). — Medio partis anterioris superioris *scutellum* adnatum est, quod, situ partium naturali quieto

549). Haec omnia in alis coleopterorum micropterorum desideramus (Confer. Deutschlands Insectenfaune von G. W. F. Panzer, tab. XII).

atque incolumi, inter angulos interiores elytrorum basis prodit. *Staphylinis* hoc scutellum elongatum est, basi latum, apicem versus sensim angustatum; *Lathrobiis* triangulare, exiguum; *Paederis* perexiguum, obtusum; *Anthophagis* et *Stenis* vix conspicuum; reliquis parvum triangulare.

Abdomen supra et infra convexum est, marginibus lateralibus elevatum, unde pars eius inferior, quae *venter* nominatur, semper convexior est, quam pars superior, seu *dorsum* abdominis, eoque magis vel minus, quo angustius et crassius vel latius et depressius totum corpus est. — Abdomen compositum est e septem annulis corneis, qui *segmenta*, ultimus autem speciatim *anus*, nominantur, quorum quinque prima, longitudine, aequalia sunt, sextum autem reliquis longius esse solet. Hic segmentorum numerus constans est; abdomine autem, morte, contracto, haud raro accidit, quin unum alterumve eorum, praecipue ultimorum, in segmentum praecedens retrahatur, quod Tachinis et Tachyporis saepius obvenit, atque numerus segmentorum minor esse videatur; cave, ne, hoc deceptus, credas, abdomen e sex vel quinque segmentis compositum esse. Segmentum *penultimum* sive sextum reliquis segmentis longius esse solet, imprimis in genere Tachinorum, et partes (verisimile genitales) includit, quae, speciebus nonnullis, instar penicillorum et forcipularum, numero autem non semper eodem, ventre, sub segmento ultimo, prominent (e. g. in speciebus quibusdam Staphylinorum, Lathrobiorum, Paedero *ripario*; distinctissime autem et copiosius in Tachinis familiae primae). — Quod ad *formam* segmentorum, haec, dorso, omnibus Coleopteris Micropteris, eadem est, nisi quod latitudine interdum diversa sint: Staphylino *palmulae* abdomen apicem versus latitudine crescit, Tachinis Tachyporis et quibusdam Staphylinis familiae tertiae (v. c. Staph. *attenuato*) la-

titudine decrescit; anus, vel segmentum ultimum, reliquis semper angustius est. Ventre segmentum penultimum, vel hoc et segmentum antepenultimum, interdum a reliquis differunt: Nonnullis Staphylinorum speciebus (e. g. Staph. *maxilloso, olenti*) segmentum penultimum, quibusdam individuis, margine medio, arcu parvo sinuatum est, quibusdam autem integrum; nonnullis Tachinorum speciebus, praecipue maioribus (e. g. T. *rufipedi, humerali, subterraneo*) segmentum penultimum, quibusdam individuis, margine sinuatum est, quibusdam integrum; nonnullis Staph. *variantis* et *politi* speciminibus segmentum penultimum margine medio incisum est seu fissum, aliis integrum; Staphylini *laminati* segmentum penultimum, infra, vel sub ano productum est, vel simplex et haud longius quam supra; Staph. *splendenti* vel segmentum penultimum, infra, margine medio, profunde fissum est, simulque antepenultimum arcu parvo sinuatum, vel utrumque integrum 1).

1) Cum autem individua specierum hic allegatarum, et certe multarum adhuc aliarum, caeteris paribus, forma sola huius segmenti differant, et haec differentia adeo frequens sit, eam non sufficientem esse putavi, ad plures species condendas. Coniicio autem, hanc segmenti penultimi duplicem formam in sexum duplicem specierum referri posse, idque tanto meliore iure, cum observaverim, penicilla ista, quorum in § mentionem feci, individuis, margine segmenti penultimi infra sinuato, longiora esse quam reliquis. Hunc attamen consensum sexus et formae segmenti penultimi conicere tantum, nec affirmare, possum; nondum enim par individuorum ex qualibet allegatarum specierum in copula reperi, nec credo, hanc differentiam individuorum in reliquis Micropterorum speciebus, praeter Staphylinos et Tachinos familiae primae, locum habere; ego saltem eam haud ubique vidi, quamquam, multis speciebus, copiam haud exiguam speciminum possideo, et par Aleoch. Boleti nec non Steni flavipedis, copula iunctum, prehendi.

§. 10.
De pedibus.

Pedes Coleopterorum Micropterorum, respectu numeri et situs artuum, omnibus generibus atque speciebus, nec non inter se, aequales sunt; respectu autem proportionis, semper pedes antici brevissimi et validissimi sunt, pedes postici longissimi atque gracillimi. Constant *capite femorum*, *femore* cum *trochantere*, *tibia* et *tarso*, et proportioni pedum inter se proportio artuum respondet, qui, pedibus anticis, validiores et breviores, pedibus posticis, longiores et graciliores sunt, exceptis capitibus femorum, quae, pedibus anticis, validissima quidem, simul vero longissima, pedibus autem posticis, brevissima esse solent. Hi pedis artus, omnes simul, ope capitis femoris, moventur, singuli autem, per se, motus etiam peculiaris in artu praecedente, haud attamen omnibus directionibus, potentes sunt: *Caput femoris* (*squamula articuliformis* Panzeri), quod, quamquam, motu pedum, magni momenti est, plurimi Entomologi nostri aevi praeteriverunt, basis est totius pedis; partim in acetabulo situm, i. e. in cavitate corporis, formae eius exacte respondente, et motum ei certum concedente; hic motus attamen non nisi prorsum atque retrorsum, neque lateratim, fieri potest. *Femur* in capite femoris lateratim movetur, et si insectum incedit vel currit, atque pedes prorsum et retrorsum movere cogitur, capita femoris antica omnino prorsum, posteriora autem omnino retrorsum flexa sunt, ita ut pedes, respectu quidem totius corporis, antrorsum et retrorsum, in capitibus femorum autem lateratim, moveantur. Basi femoris, introrsum, *trochanter* (inter 23 — 24 et 28 — 29 tab. XII libelli Entomologici *Panzeri* situs), tanquam appendicula, iunctus est, qui autem motus spon-

tanei haud potens esse videtur. Nescio, quod de eius fine et usu proferam. Eodem modo, quo femora in capitibus femorum, *tibiae* in femoribus, et *tarsi* in tibiis moventur. — Omnes hi artus ita formati sunt ut, complicati, singuli singulis arcte se adplicent. Caput femoris, quousque ex acetabulo prominet, superficie superiore convexum est, superficie autem inferiore eo magis vel minus concavum, quo magis vel minus femur, superficie superiore, quae, replicando femoris, superficiei inferiori capitis femoris adplicatur, convexum est; margines femoris, inprimis margo exterior, acuti sunt. Femur itidem, superficie inferiore, eo magis vel minus concavum est, quo magis vel minus superficies superior tibiae, quae illi adplicatur, convexa est 1).

Capita femorum, situ longitudine et crassitie, varia sunt; basi semper latiora quam apice; plerumque, si longiora sunt, fortia et pyramidalia (e. g. pedibus anticis Staphylinorum). Proportio eorum ad femora pedibus omnibus diversa esse solet: pari antico, capita femorum plerumque longissima et validissima sunt; pari medio breviora et debiliora; pari postico brevissima, maximam partem in acetabulo abscondita, parte prominente subglobosa, apice subtuberculato. Differentia longitudinis inter capita femorum antica et media in Omaliis vix est conspicua; et Stenis omnia aeque sunt brevia. Capita femorum paris singuli approximata esse solent; Oxyporis attamen atque Aleocharis capita femorum paris medii subremota sunt.

1) Quae hactenus de artubus pedum dixi sane etiam ad omnia reliqua coleoptera referri possunt, pedibus, generaliter et quoad articulationem artuum, prorsum invicem congruentibus. Variant autem forma, nec non numero atque proportione articulorum tarsorum.

Femora, forma, multo minus variabilia sunt; caeteris paribus attamen Paederis et Stenis gracillima longissima, Lathrobiis brevissima validissima. *Trochanter* eo distinctior esse solet, quo gracilius femur ipsud est, (e. g. Paederis, Stenis, Aleocharis &c.).

Tibiae, longitudine, propemodum femora aequant, basi subangustiores sunt quam apice, plerumque paululum incurvatae; Stenis solis rectae. Staphylinis, Tachyporis et Tachinis breves sunt atque validae, setis rigidiusculis, et inter setas spinis quibusdam longioribus, vestitae, imprimis attamen tibiae anticae. Oxytelis autem multo validiores, spinis veris armatae, et anticae praeterea (quod, e coleopterorum micropterorum generibus, huic soli proprium est), apice, sinu obliquo marginis interioris, eodem modo ut Aphodiis, emarginatae sunt. Lathrobiis, Omaliis et Paederis tibiae sunt graciliores atque minus spinosae, ciliis rigidiusculis vestitae; quamvis inter Omalia quaedam occurrant tibiis validioribus et fere aeque spinosis ac tibiae Oxytelorum (e. g. Omal. *rugosum*). Oxyporis et maioribus Aleocharis graciles sunt atque subciliatae; Stenis et minoribus Aleocharis gracillimae atque laevissimae. — *Spinae* et *cilia*, de quibus actum est, praecipue marginibus acutis interioribus et exterioribus, validissimae autem et longissimae, sine exceptione, apici tibiarum insident. Ante omnes duae spinae, longitudine et crassitie insignes, margine interiore apicis, instar furculae bifurcae, prominent. Hoc par spinarum omnibus Coleopterorum Micropterorum generibus, vel illis, quorum tibiae, marginibus lateralibus, laevissimae vel solummodo ciliis tenuibus vestitae sunt, commune, eo autem longius est, quo plus tibiarum margines laterales spinis vel ciliis instructi sunt; Stenis autem minimum. Omnes hae spinae et cilia, sine exceptione, apicem pedis versus directae sunt, quo

coniicio, eas, insecto incedenti vel currenti, pro adminiculis servire, quorum ope corpus promovetur.

Tarsi, omnibus huc relatis generibus, compositi sunt ex articulis quinque, quorum ultimus, seu *unguis*, forma clavata seu pyriformi, apice ungula duplici armatus est. — De tarsis generaliter idem obtinet, quod iam de femoribus et tibiis dixi; Antici scilicet brevissimi, postici longissimi sunt. Tarsi autem antici vel perbreves sunt simulque valde dilatati, vel graciles et longi; illi Staphyl. omnibus familiarum primae et secundae, plurimis Staph. megacephalis familiae tertiae, et quibusdam familiae quartae (e. g. Staph. *fulgido*, *alternanti*), porro Lathrobiis plurimis; graciles omnibus reliquis generibus et speciebus. Hic vero notandum est, tarsos anticos, quibusdam speciebus, medium tenere inter graciles et dilatatos; immo, specierum quarumdam specimina, tarsis dilatatis, tarsis tenuibus et tarsis intermediis variare (e. g. Staph. *nitidi*) 2). — Articuli quatuor primi, infra, unguem versus, subproducti et pilis brevibus tenuibus densis, prorsum inclinatis, tecti sunt, et quidem eo crebrius, quo latior tarsus est; apice incisi esse videntur, ita ut incisura superne appareat, et articulus insequens e hac incisura provenire videa-

2) Sunt, qui credunt, formam tarsorum anticorum in consensu esse cum differentia sexuali, illaque specierum individua, quorum tarsi antici dilatati sunt, mares, reliqua autem feminas esse; dicunt maribus eum in finem tarsos anticos latiores et validiores esse, quo, ope eorum, feminis, copula, arctius inhaereant. His autem non adsentire possum, cum tarsi antici, omnibus individuis Staphylinorum familiarum primae et secundae, quotquot eorum vidi, dilatati, plurimis autem reliquis generibus et speciebus graciles sint. Staph. nitidus unica est species, in qua tarsos anticos et dilatatos et graciles deprehendi, speciminibus attamen haud deficientibus, quibus tarsi intermedii erant, i. e. qui, eodem iure, graciles vel latos nominari poterant, (confer §. 5. nota 1).

tur; revera articuli apice truncati, spinis autem duabus porrectis validis armati sunt, quae speciem illius incisurae simulant. Cum autem tarsi antici semper posterioribus breviores sint, articulos etiam eorum breviores esse oportet. Illis, quorum tarsi antici perbreves et dilatati sunt, articuli etiam sunt perbreves, transversi, lati, medii latissimi; quorum tarsi antici autem graciles sunt, articulus primus elongatus, articuli medii breves et, ob spinas apicis, cordati sunt. Articuli singuli tarsorum posteriorum longiores sunt articulis singulis tarsorum anticorum: Tres medii plerumque breves, cordati; Oxyporis autem et Lathrobiis articuli, secundus oblongus, tertius et quartus breves, cordati; quibusdam omnes longi graciles (e. g. Tachinis familiae secundae et Tachyporis, quibus generaliter pedes valde graciles sunt). Articulus primus, fere sine ulla exceptione, longissimus est; Oxyporis autem et Lathrobiis secundo haud longior, saepius brevior esse videtur 3). Omaliis et Oxytelis articuli quatuor primi perbreves sunt, ultimus autem longus validus, ungula etiam, caeteris paribus, validiore et longiore, quam in cogeneribus. Caeterum, unguis omnibus, forma, constans est, nec nisi ratione longitudinis et crassitiei interdum, ut modo vidimus, differt.

3) Fabricius verisimile articulum secundum longiorem, una cum articulo primo breviore, pro uno tantum atque primo habuit, et Paederis et Oxyporis tarsos quadriarticulatos tribuit, quo simul confirmavit id quod jam supra (§. 2.) dixi „Fabricium nempe maiores solummodo species generum suorum accuratius „examinavisse." Inter eius enim Oxyporos et Paederos, maioribus solis (e. g. Oxyporis rufo et maxilloso, Lathrobiis elongato brunnipedi etc.) articulus primus brevis, articulus secundus longus est. Reliquis autem Oxyporis et Paederis Fabricianis (Tachinis, Tachyporis et Paederis veris) articuli quinque tarsorum distinctissimi sunt, et articulus primus sequentibus longior; insecta vero ipsa, in genere, illis multo minora.

§. II.

De habitatione et vitae genere horum insectorum.

Vitae genus et *habitatio* Coleopterorum Micropterorum permultiplices sunt: Degunt partim in cadaveribus et fimo, partim in boletis vel agaricis et in aliis substantiis putrescentibus, partim in locis tenebrosis suffocatis, partim in floribus varii generis, ibique victum quaerunt. Haud vero quaeque species, et multo minus quodque genus, eadem semper habitatione eodemque victu utuntur. Staphylini reperiuntur in stercore, cadaveribus, agaricis vel boletis, et aliis substantiis vegetabilibus putrescentibus, in locis tenebrosis suffocatis &c.; Lathrobia in suffocatis humidiusculis, ubi fimus seu vegetabilia putrescunt; ibique Paederi; Alcocharae in fimo, cadaveribus, boletis et agaricis, sub arborum cortice; Omalia et Anthophagi in floribus; Oxyteli non nisi in fimo, Tachypori plurimi in fimo, nec minus frequentes in floribus, muscis, quisquiliis, gramine, &c.; Tachini familiae primae in fimo, familiae secundae in agaricis et boletis; Steni in locis humidis, arenosis, ad ripas, in lacunis exsiccatis &c. — Sed de vitae ratione horum insectorum nimis mance disseruissem, si modo dictis iam desinerem, cum in familiis et ipsis speciebus generum plurimorum hoc vel illud obveniat peculiare, saepe admodum singulare et notatu dignum; ita ut credam, me, non sine ullo pro scientia usu, lectoribus meas observationes communicaturum.

De *ortu*, *vitae epochis* variis, et *copula* horum insectorum illud tantum scimus, quod cum omnibus coleopteris commune habent: Femina, aliquot tempus post copulam, ovula deponit in locum, larvis futuris, quae ex illis provenient, commodum. Larvae proreptae si, folliculis pluries depositis, ad certam

magnitudinem accreverunt, in pupam incompletam (nympham) mutantur, e qua tandem insectum perfectum provenit. De vitae ratione atque victu horum insectorum, in statu imperfecto, proprias observationes haud addere possum, nunquam enim mihi successit, larvas speciei cuiusdam maioris Staphylinorum (Staph. *olentis*? St. *similis*?) 1), quas nonnunquam in sylvis, locis tenebrosis suffocatis, sub truncis arborum caesarum, semper autem solitarias (ut insecta perfecta) reperi, usque ad perfectionem alere. Educatio atque nutritio harum larvarum, et observatio earum per omnes vitae epochas, res difficilis est, quod quisque mihi concedet, qui periculum fecit. Vitae rationem in insectis solis perfectis observavi. Si de *habitatione* insectorum agitur, *fortuita* a *vera* bene distinguenda est. Haec est ubi insectum

1) Saltem autem mihi liceat, descriptionem harum larvarum hic iungere: Corpus apterum, elongatum, longitudine 8 — 10 lin., nigrum, convexum, capite et duodecim segmentis, aequali latitudine, lateribus deflexis, constabat. Caput, cum antennis et instrumentis cibariis, capiti capitisque partibus insecti perfecti simile, minus attamen, erat; mandibulis falcatis, haud dentatis. Segmentum primum, subtransversum, apice paulo angustius, segmentis sequentibus longius, capite latius, infra pedibus anticis instructum, thoraci insecti perfecti respondebat. Segmenta secundum et tertium, singula primo paululum breviora, sequentibus paulo longiora, infra pare pedum instructa, pectori insecti perfecti respondebant. Segmenta sequentia, longitudine et latitudine similia, transversa, imbricata, lateribus deflexa, marginulo laterali subelevato, abdomen erant; ultimum autem, sub penultimum retractum, anum emittebat cylindricum, longitudine segmenti, eo autem quadruplo angustiorem, et supra, spinis duabus, segmento longioribus, tripartitis, quoad formam cornua cervina aequantibus, armatum erat. Pedes erant quinquearticulati; articulo primo, capiti femorum respondente, huic etiam simillimo; articulis sequentibus subcylindricis, apice paulo crassioribus, armatis infra spinulis; secundo reliquis vix breviore; sequentibus crassitie decrescentibus; ultimo, apice, ungula duplici paululum curvata, armato. Caeterum pedes, ratione longitudinis proportionalis, pedibus insecti perfecti respondebant.

constantissime et copiosissime reperitur, et cum certitudine non indicari potest, nisi insectum aliqua copia, constanter, et temporibus diversis, loco quodam occurrat. Fieri enim potest, ut multitudo magna speciminum eiusdem speciei uno eodemque loco reperiatur, cum modo ibi provenerit, (experientia enim docet, multa insecta, statu imperfecto, longe secus vivere et locis habitare longe diversis, quam statu perfecto (e. g. Lucanus *Cervus*, Melolontha *vulgaris* &c.), vel tutelam contra frigora hyemis quaesiverit (uti e. g. Omalium *depressum*, quod, autumno anni 1799 et vere anni 1800, frequens domi ad fenestras cepi; vel Oxyteli *piceus* et *carinatus*, quorum copia haud exigua, vere, sub lapidibus, in quisquiliis, locis apricis, occurrit), paucis autem diebus praeterlapsis evanuerit, quia huius insecti habitatio propria longe alio loco est. Unde sequitur, multitudinem solam speciminum speciei, semel loco quodam repertam, nos, hoc respectu, nondum maxima certitudine ducere posse, potius habitationem constantem hic maioris momenti esse, quam illa. — Qui individuum unicum speciei alicuius loco reperit, ubi plurimae reliquarum cospecierum habitare solent, verisimile ibi reperit, ubi proprie degit, et vice versa (e. g. Aleoch. *longicornis* specimen modo unicum possideo, idque in fimo repertum; cum autem Aleochararum affinium longe maxima multitudo in fimo victitet, credo etiam, me illam loco proprio et naturali cepisse. E contrario, Aleochara *opaca*, quam semel tantum, et quidem in flore Echii *vulgaris* cepi, proprie, ut mihi persuasum est, alio loco degit, nullam enim huius familiae Aleocharam unquam in floribus reperi). — Si cuiusdam speciei multitudo speciminum magna est, et in diversis substantiis victitat, ita vero, ut longe plurima in una harum substantiarum degant, credo, hanc victum eis proprium praebere, his attamen distinctionibus: Forsan co-

pia insectorum quorumdam in hunc vel illum pastum incidit, cum nullum alium invenire potuerit, quem illi praeferat, de quo autem facile nos certiores facere possumus, si haec insecta per plures dies observamus, certe enim haud diu permanebunt, sed mox alium locum quaerent; ope praeterea analogiae, et collato vitae genere reliquarum cospecierum, facile intelligemus, an haec insecta loco proprio atque naturali prehenderimus, an non. Quamvis autem plurima locis certis libentius habitent, et substantiis certis libentius victitent, quam aliis, sunt attamen quae substantiis, saepe valde diversis, pari modo delectari videntur, (e. g. Aleoch. *fuscipes* habitat aeque copiose in cadaveribus atque in fimo et boletis putrescentibus, et in omnibus, uti videtur, sibi placet atque vita fruitur minime famelica sed iucundissima; Omalium *rivulare* in fimo, in floribus, et in boletis degit. Stercus autem, carnis putrescens, boletus et flos res admodum diversae sunt.

In articulo praecedenti breviter momenta exposui, vel ad habitationem fortuitam vel ad habitationem propriam respicientia. Quae autem sunt causae, cur quaedam harum specierum, etsi speciminibus divites sint, nunquam, quaedam autem, individuis haud ditiores, saepe, et interdum copia haud exigua, locis fortuitis reperiantur, licet nulla ratio adsit, cur hic potius habitent (e. g. si victus earum naturalis et proprius haud procul est, et haec habitatio fortuita nec locus est, ubi tutelam quaesiverint, nec locus, quo ovula deponant &c.). Oxytelum *depressum*, cuius habitatio propria, sine dubio, in stercore est, aliquando copiose in floribus Echii *vulgaris*, et saepe in gramine legi; Tachinum *melanocephalum* et Aleoch. *nanam*, species duas, individuis adhuc ditiores, quam Oxytel. *depressus*, semper in boletis vel agaricis, et numquam alibi. An sensus, qui insecta, habitationes et vi-

ctum quaerentia, ducit, fortasse quibusdam hebetior, quibusdam acrior, causa huius differentiae sit?

Aliud autem, ut credo, notatu dignum, illud est peculiare et singulare in toto habitu talium generum familiarum et specierum, quae, vitae ratione singulari, a reliquis decedunt: Inter omnia Coleoptera Microptera *Staph. maxillosus* unicum est, quod in cadaveribus solummodo victitat; quantopere autem, antennis brevibus crassis, thorace, corporis signaturis, et, ut brevis sim, habitu toto, ab omnibus reliquis cospeciebus et Staphylinorum cogeneribus differt! Staphylini primi familiae secundae (e. g. Staph. *olens, similis* &c.) locis habitant suffocatis tenebrosis, sub lapidibus vel arborum truncis, numquam in stercore; corpore autem opaco, obscuro, subtilissime puncto, thorace quadrato, antennis apicem versus magis minusve tenuioribus, ab omnibus reliquis Staphylinis decedunt. Staphylini ultimi huius familiae, qui in fimo degunt, habitu sunt longe alio, et vel vestimento corporis magis minusve lanuginoso differunt (e. g. St. *pubescens, nebulosus, murinus*), vel colore elytrorum pallido (e. g. Staphyl. *erythropterus, castanopterus* &c.). In familia tertia Staphylini, qui, fere sine ulla exceptione, in fimo victitant, et nitore splendidiore, nec non forma atque punctura thoracis distincta sunt, singularitates quasdam observamus: *Staph. marginatum*, thoracis margine flavescente distinctum, cum omnibus cospeciebus huius familiae thorax unicolor sit, nullibi, quam in sylvis altioribus umbrosis, in fimo bovino, reperi, nunquam locis apricis, in campis vel pratis; species quasdam minores, elytris pilis grisescentibus brevibus tectis, capite thoraceque interdum subsericantibus (e. g. St. *fulvipedem, micantem* &c.) saepius sub vegetabilibus putrescentibus, in lacunis exsiccatis, quam in fimo; species plurimas familiae quartae saepius sub arborum cortice et sub

lapidibus, quam in fimo. — *Paederi riparius* et *littoralis*, colore rufo et habitu toto, a cospeciebus satis distincti, occurrunt in gramine, locis humidulis vel umbrosis, inter quisquilias, ad radices arborum; reliquos huius generis non nisi sub lapidibus reperi. — Aleochara prima familiae primae, *Aleochara canaliculata*, habitu toto nec non partibus quibusdam singulis, e. g. forma et fovea lata thoracis, de reliquis speciebus decedens, victitat, nec sub arborum cortice, nec in fimo, nec in boletis vel agaricis, nec in cadaveribus, sed semper sub lapidibus, ubi nunquam alia quaevis Aleochara mihi occurrit; reliquae huius familiae Aleocharae, „capite thoraceque globosis," in boletis et agaricis vel sub arborum cortice putrescente degunt; Aleocharae „coactae, thorace lato, apicem versus angustiore gibbo-„so," quae sunt plurimae familiae tertiae, et quaedam familiae secundae, in fimo habitant; plurimae autem familiae secundae, et quaedam e familia tertia minus coactae et thorace minus gibboso, in boletis et agaricis, vel sub arborum cortice. — *Oxyteli* in fimo tantummodo degunt. — Duo genera Coleopterorum Micropterorum, *Omalium* scilicet et *Anthophagus*, ab omnibus reliquis cogeneribus, „co-„leoptris longis, et abdomine lato depresso, ano acuto" distincta, habitationem in floribus sibi sumserunt. — Species familiae secundae *Tachypororum*, tam vitae genere, quam habitu externo toto, inter se differunt: Quasdam, pallidas, nigro signatas, nitidissimas (e. g. *Tachyp. chrysomelinum*, *analem* &c.) in floribus, gramine &c., et interdum in fimo siccìore, reperi; quasdam autem, subnitidas, subsericantes, obscuras (e. g. Tachyp. *pubescentem*, *cellarem* &c.) modo sub arborum cortice. — Familiae duae *Tachinorum*, et vitae genere, et habitu toto, valde inter se differunt: Species *familiae primae*, quae in fimo tantummodo

habitant, latiores sunt, minus nitidae, capite orbiculato, colore multo opaciore, quam species *familiae secundae*, quae nunquam alibi quam in boletis vel agaricis inveniuntur. — *Oxypori* degunt cum familia secunda Tachinorum. — De *Stenorum* habitatione et vitae ratione veris nondum aliquid certi comperi, cum species huius generis, habitu toto, inter se admodum congruentes, a cogeneribus autem omnino diversae, locis diversissimis repererim, uti infra videbis; in genere autem terram humidiorem amare, et diem atque solis lucem minus fugere videntur, quam species reliquorum cogenerum.

E praecedentibus apparet, plurima horum insectorum vel in fimo vel in agaricis et boletis degere. Eruere autem possumus characteres universales, quibus illa ab his differunt. — Illa scilicet generaliter colore sunt opaciore, vel nitore caeciore; colore plerumque nigricante, interdum antennis pedibus elytris pallidioribus, his nempe vel subsanguineis vel castaneis vel fuscis, (e. g. Staph. quibusdam familiae tertiae, Aleocharis familiae tertiae, Oxytelis, Tachinis familiae primae), rarius ochraceo-vel rufo-vel testaceo-signatis, (e. g. Staph. *erythroptero* &c. Oxytelo *piceo*, Tachino *subterraneo*). — Quae semper in boletis vel agaricis habitant, nitore sunt nitidissimo, et colore pallido; plerumque rufa vel testacea, capite, angulis inferioribus coleoptrorum, anoque saepe nigris vel fuscis (e. g. Oxypori, Tachini familiae secundae, Aleochara *nana*). — Character praeterea notatu dignus, et solis Oxyporis atque Tachinis familiae secundae proprius, lineae sunt duae impressae elytrorum subcrenato-punctae, quae autem Tachinis interdum interruptae sunt, et fere omnino evanescunt.

Coleoptera

Microptera.

Genus I.

Staphylinus

Palpi filiformes

Thorax basi rotundatus.

Corpus elongatum.

Caput, angulis obtusis; infra planum laeve, supra convexum — *Antennis* moniliformibus, undecimarticulatis; articulis, primo longiore, secundo et tertio brevioribus, caeteris brevissimis.

Thorax, antice truncatus, postice rotundatus; convexus — *Ora* laterali infra reflexa.

Coleoptra angulata; angulis obtusis; thoracis circiter magnitudine; depressiuscula; lateribus deflexa.

Abdomen elongatum, marginatum, dorso ventreque convexum; latitudine coleoptrorum.

Pedes cursorii — *Capitibus femorum* approximatis; *anticis* femore multo crassioribus, vix longioribus; *mediiis* femore paulo brevioribus et crassioribus; *posticis* brevissimis, maximam partem in acetabulo absconditis — *Tibiis* spinosis — *Tarsis* quinquearticulatis; articulo primo longiore.

Familia I. Thorace lateribus basique rotundato; angulis anticis acutis.

Familia II. Thorace subquadrato.

Familia III. Thorace suborbiculato.

Familia IV. Thorace elongato.

Fam. I.

Corpus nitidum.

Caput subquadratum, angulis obtusis; nitidissimum, laeve, basi lateribusque punctum — *Oculis* parvis — *Antennis* capite paulo longioribus, extrorsum crassioribus; articulis, primo longo, clavato, crasso; secundo et tertio clavatis, brevioribus et tenuioribus; quarto et quinto subglobosis; sequentibus pateraeformibus, latitudine crescente; ultimo oblique truncato.

Thorax nitidissimus, laevis, lateribus punctus.

Coleoptra subquadrata, angulis obtusis; thorace longiora et paulo latiora; plana, pubescentia.

Abdomen pubescens.

Pedes, tarsis anticis dilatatis.

1. *St. maxillosus*, niger, nitidus; fascia coleoptrorum cinerea; ventre candido.

Longitudo 5 — 8 lin.

Variat fascia coleoptrorum continua vel medio interrupta; abdominis dorso cinereo - maculato vel nigro; capite latiore vel angustiore quam thorax.

Habitat ubique in cadaveribus.

St. maxillosus Linn. Fn. Suec. n. 841.
- *Fabr.* Ent. Syst. *St.* n. 9.
- *Payk.* Mon. *St.* n. 2.
- *Payk.* Fn. Suec. *St.* n. 2.
- *Schrank* Boic. n. 861.
- *Rossi* Fn. Etr. n. 607.
- *Olivier* Ent. *St.* n. 2. pl. I. f. 5. a.
- *Panzer* Fn. Germ. H. 27. t. 2.
- *nebulosus Fourcr.* Ent. Par. *St.* n. 5.
- *balteatus Fabr.* Fn. Groenl. p. 191.
- *De Geer* Mem. *St.* n. 4.
- *fasciatus* Fuesslin Helv. n. 410.

Geoffr. Hist. St. n. 5.

De confusione St. maxillosi et St. olentis cel. *Hellwig* in „Fauna Etruriae *Rossii*", quam edidit, uberius disseruit.

Fam. II.

Corpus confertim punctum.

Caput confertim punctum — *Oculis* parvis — *Antennis* articulis, primo longiore clavato, secundo et tertio brevioribus clavatis, sequentibus campanulatis, ultimo oblique truncato.

Thorax subquadratus, confertim punctus, lateribus antice subdeflexus.

Coleoptra quadrata, angulis obtusis.

Pedes tarsis anticis dilatatis.

2. *St. olens*, niger, opacus.

Longitudo 8 — 13 lin.

Corpus confertissime subtilissimeque punctum.

Caput quadratum, angulis obtusis, magnitudine thoracis. *Antennis* capite paulo longioribus, extrorsum decrescentibus.

Coleoptra thorace vix longiora et latiora.

Habitat, vere, sub lapidibus et arborum demortuarum truncis, in sylvis.

St. olens Fabr. Ent. Syst. St. n. 6.
- *Payk.* Mon. St. n. 4.
- *Payk.* Fn. Suec. St. n. 5.
- *Olivier* Ent. St. n. 4. pl. I. fig. 1.
- *Panzer* Fn. Germ. H. 27. t. 1.
- *major niger De Geer* Mem. St. n. 3.
- *maxillosus* Fourcr. Ent. Par. St. n. 1.
- *Schrank* Austr. n. 434.
- *Fuesslin* Helv. n. 409.

Geoffr. Hist. St. n. 1.

Cel. *Geoffroy*, loco allegato, citavit etiam *Linnei* St. *maxillosum* (Linn. Fn. Suec. n. 603; *et* Act. Upsal. de anno 1736 p. 15 n. 23). Omnia autem haec citata ad St. *maxillosum* et ejus varietatem totam nigram referenda sunt. Loco, e Geoffroyi Hist. Ins. allegato, St. *olentem* describi, ex omnibus characteribus et e magnitudine apparet, cum St *maxillosus*, „longitudine undecim linearum" nunquam occurrat.

Cel. etiam *Schrank* perperam St. *maxillosum Linnei* citavit.

Confer quae cel. *Hellwig* in editione „Faunae Etruriae,“ n. 607 monuit.

3. *St. similis*, niger, subopacus; linea longitudinali media capitis thoracisque nitida.

Habitu St. olentis; differt autem corpore minore et paulo nitidiore, coleoptris thorace brevioribus, linea capitis thoracisque nitida.

Longitudo $5\frac{1}{2}$ — 8 lin.

Habitat, haud raro, sub lapidibus, in humidis, montosis.

St. similis Fabr. Ent. Syst. St. n. 7.
- *Payk.* Mon. St. n. 5.
- *Payk.* Fn. Suec. St. n. 6.
- *Schrank* Boic. n. 863.
- *Olivier* Ent. St. n. 12. pl. V. f. 42?
- *nitens Schrank* Austr. n. 436.

Geoffr. Hist. St. n. 3.

St. globulifer Fourcroy Ent. Gar. St. n. 3.
- *minor niger De Geer* Mem. St. n. 7.

Staphylinum *De Geeri*, quem hic citavi, non ad *St. politum Linn.* referri posse, e multis ejus characteribus me persuasum habeo.

Allegavi etiam *St. nitentem Schr.* „thorace punctis quin„que maioribus, infinitis minoribus; longitudine septem „lin.“ Quamquam enim puncta quinque majora thoracis speciminibus meis desunt, caeteri tamen characteres plane conveniunt.

Nullo modo *St. olens* huc pertinet; et Dom. *Schrank* (Boic. n. 863.) *St. olentem Payk.* allegans, omnino errat. Di-

cit enim ipse „thorax *(St. similis)* elytris longior est“ quo haec species a praecedente discernitur.

Descriptio Fabriciana huius insecti maxime cum meis speciminibus convenit, quia lineae elevatae capitis thoracisque, ab omnibus Entomologis ante Fabricium praetermissae, mentionem facit.

4 *St. morio*, niger, subnitidus; antennarum apice, palpis, tibiis, tarsisque fuscescentibus.

Habitu St. praecedentis; linea etiam capitis thoracisque. Differt autem ab illo, corpore paulo angustiore; coleoptris paulo longioribus; capite thoraceque nitidioribus et minus confertim ac subtiliter punctis.

Longitudo $6\frac{1}{4}$ lin.

St. morio Mus. Prof. *Knoch.*

5 *St. cyaneus*, ater, opacus; capite, thorace, elytrisque coerulescentibus.

Habitu St. praecedentium. Antennis autem extrorsum subcrassioribus; thorace paulo convexiore.

Longitudo 6 — 8 lin.

Caput et *thorax* linea media longitudinali laevi.

Coleoptra thoracis magnitudine.

Variat thorace cyanescente vel nigricante.

Habitat in montosis, sub lapidibus, cum *St. simili* et *St. aeneocephalo*; interdum etiam in fimo; primo vere.

St. cyaneus Fabr. Ent. Syst. St. n. 11.

- *Payk.* Mon. St. n. 7.

- *Payk.* Fn. Suec. St. n. 4.

- *Panzer* Fn. Germ. H. 27. t. 3.

St. Olivier Ent. St. n. 13. pl. I. f. 4.

- *ophthalmicus Scop.* Carn. n. 300.

- *coerulescens* Fourcr. Ent. Par. St. n. 2.

Geoffr. Hist. St. n. 2.

6 *St. tricolor* niger, opacus; elytris cyanescentibus; pedibus, palpis, antennarumque basi rufo-testaceis.

Habitu quidem St. praecedentis; satis autem distinctus.

Longitudo $5\frac{1}{2}$ lin.

Caput orbiculatum, thorace multo minus, confertim punctum; punctis autem crassioribus quam in St. praecedentibus; linea media longitudinali obsoleta laevi; atrocoerulescens, nitidum. Antennis capite duplo longioribus, filiformibus, fuscis, basi rufis. Clypeo rufo. Labro fusco. Palpis gracilibus, tenuioribus quam in St. praecedente, rufis, apice fuscis.

Thorax quadratus, coleoptris vix angustior, subnitidus, crassius punctus quam in St. praecedente, linea media longitudinali laevi.

Coleoptra quadrata.

Abdomen pilis brevissimis tenuissimis griseo-sericantibus tectum. Segmentis penultimo et antepenultimo, margine, pilis fulvo-sericantibus fimbriatis.

Pedes rufi; capitibus femorum nigris.

St. tricolor Mus. Prof. *Knoch.*

7 *St. crassicollis* niger, opacus; tarsis fuscis; capite thoraceque nitidis.

Habitu St. sequentis. Differt autem statura latiore, capitis thoracisque punctis minus confertis, thorace convexiore &c.

Longitudo 7 lin.

Thorax subquadratus; angulis anticis obtusioribus quam in St. sequente; punctus, medio laevissimus; latidudine coleoptrorum.

Coleoptra quadrata, thorace paulo breviora.

St. crassicollis — Mus. Prof. *Knoch.*

8 *St. aeneocephalus*, nitidus; capite thoraceque nigro-aeneis, linea media longitudinali glabra; coleoptris fusco-vel rufo-grisescentibus.

Habitu St. *Morionis* (n. 4.); capite autem orbiculato, paulo angustiore quam thorax.

Caput confertissime subtilissimeque punctum; punctis quibusdam crassioribus lateralibus impressum; nitidum; linea media longitudinali glaberrima.

Thorax confertissime subtilissimeque punctus; punctis quibusdam maioribus, saepius obsoletis, quorum sex vel decem in series duas dorsales disposita sunt; linea media longitudinali glabra.

Magnitudo et color pervariabiles sunt.

Var. 1 St. aeneo-nitidus; elytris, antennarum basi, tarsisque, fuscis; abdominis dorso lineis quinque griseis longitudinalibus; longitudine 6 lin.

Var. 2 St. aeneo-nitidus; elytris, antennis, pedibusque fuscis; abdominis dorso linea longitudinali, segmentorumque marginibus, griseis; longitudine 6 lin.

Var. 3 St. aeneo-nitidus; antennarum basi, palpis, tarsisque rufis; coleoptris, lineisque quinque abdominis longitudinalibus, griseo-sericeis; longitudine 4 — 5 lin.

Var. 4 St. var. 3 similis; linea autem abdominis unica tantum, marginibusque segmentorum griseis.

Var. 5. St. niger, capite aeneo; coleoptris, abdominisque dorso, griseosericantibus; antennis tarsisque rufis: longitudine 6 lin.

Var. 6 St. niger; capite thoraceque aeneis; antennis tarsisque rufis; longitudine 7 lin.

Omnes hae varietates, habitu semper eodem, altera in alteram sensim transeunt. Nitor sericeus elytrorum et linearum a pilis griseis tenuibus depressis proficiscitur; quibus detritis, elytra fusca seu rufa, abdomen autem nigrum nitidum apparent.

Habitat haud raro in montosis apricis, sub lapidibus; praecipue tempore autumnali.

St. aeneocephalus Payk. Mon. St. n. 6.

- *Payk.* Fn. Suec. St. n. 10.

- *cupreus* Olivier Ent. St. n. 16. pl. II. f. 16?

Nondum audeo dijudicare, an *St. cupreus* Oliv. et *St. aeneocephalus* Payk. ejusdem sint speciei. Olivier nihil quidem de linea media thoracis dixit; caetera autem plane congruunt.

Dubito, an *St. aeneocephalus De Geeri* et *Fabricii* huc referri possit, cum nihil neque de lineis abdominis, neque de punctis thoracis capitisque dicatur; et Fabricius *St. aeneocephalum* „affinem *St. erythroptero* et forte meram ejus varie„tatem" appellet, cum quo St. noster nihil commune habet.

Dom. *Panzer* sub nomine *St. aeneocephali* (Fn. Germ. H. 27 t. 5.) longe aliam speciem quam Paykullianam exhibuit.

9 *St. fossor* niger; capite thoraceque fuscis; coleoptris, tibiis, tarsisque rufis.

Habitu St. *erythropteri.* (n. 11.) Colore autem, thoracisque linea media longitudinali elevata, differt.

Longitudo 5 — 6 lin.

Habitat — Mus. Prof. *Hellwig* et *Knoch.*

St. fossor Fabr. Ent. Syst. St. n. 16.

- *Panzer* Fn. Germ. H. 27. t. 6.

10 *St. castanopterus* niger; coleoptris, pedibus, antennisque rufis.

Habitu St. sequenti simillimus, a quo tamen magnitudine, et thorace semper toto nigro differt.

Longitudo 5 lin.

Frons, cervix, scutellum, pectus, abdominisque dorsum saepius flavo-sericant.

Habitat haud raro in fimo.

St. castanopterus — Mus. Prof. *Knoch.*

- *erythropterus Scop.* Carn. n. 306 v. 2.
- *Olivier* Ent. St. n. 10. pl. II. f. 14.
- *Rossi* Fn. Etr. n. 609 var.

Haec species, characteribus constantibus distincta, hucusque pro varietate minore *St. erythropteri* habita est.

11 *St. erythropterus* niger; elytris, antennarum basi, pedibusque rufis; margine thoracis postico flavo.

Longitudo 6 — 10 lin.

Corpus subnitidum.

Caput orbiculatum, thorace latius, confertissime subtilissimeque punctum; antennis extrorsum paulo crassioribus.

Thorax subquadratus, paululum elongatus, confertissime subtilissimeque punctus; margine postico semper flavo.

Coleoptra quadrata, angulis obtusis, thorace latiora.

Habitat in fimo et, primo vere, in arena sub gramine spisso collis aprici prope *Brunsuigam.*

St. erythropterus Linn. Fn. Suec. n. 842.
- *Fabr.* Ent. Syst. St. n. 14.
- *Payk.* Mon. St. n. 3.
- *Payk.* Fn. Suec. St. n. 3.
- *Rossi* Fn. Etr. n. 609.
- *Schrank* Boic. n. 862.
- *Schrank* Austr. n. 435.
- *Scop.* Carn. n. 306. var. 1.
- *Fourcr.* Ent. Par. St. n. 9.
- *De Geer* Mem. St. n. 6.
- *Panzer* Fn. Germ. H. 27. t. 4.

Geoffr. Hist. St. n. 9.

12 *St. stercorarius* niger, opacus; antennarum basi, elytris, pedibusque rufis.

Statura et partium forma satis a St. praecedente differt — Proportione partium et forma *St. olentis*; antennis autem extrorsum crescentibus, punctis capitis thoracisque crassioribus.

Caput magnum, quadratum, angulis obtusis; atrum, opacum. Clypeo testaceo. Labro, palpis, antennisque fuscis; his capite vix longioribus, extrorsum crassioribus, basi rufis.

Thorax ater, opacus; linea media longitudinali, laevi, antice obsoleta, postice laevissima nitidissima.

Scutellum nigrum opacum.

Coleoptra quadrata, angulis obtusis, thoracis magnitudine, aurantiaca, pilis rigidis depressis obsita.

Pectus nigrum, pilis flavo-sericantibus vestitum.

Abdomen, dorso, maculis duabus segmentorum singulorum flavicante-sericeis; ventre, basi segmentorum flavo-sericea.

Longitudo 5½ — 6 lin.

Habitat in Stercore bovino, apud nos rarissime; semel tantummodo captus prope *Seesen*, die 8 Junii anno 1800.

St. stercorarius Olivier Ent. St. 11, 18 pl. III. f. 23.]

15 *St. pubescens*; nigro-fusco-flavoque sericeo-nebulosus; thorace angulis anticis obtusis.

Longitudo 4 — 6½ lin.

Caput orbiculatum, thoracis magnitudine, opacum, metallicum, punctum; punctis maioribus passim impressum; lanugine flavescente vestitum; linea media longitudinali, laevissima, nitida, medio in rhombum, plus minusve transversum vel latum, laevem, nitidissimum, dilatata. Clypeo testaceo. Labro rufescente. Antennis capite longioribus, extrorsum crassioribus; articulis, primo clavato longo, secundo et tertio brevioribus clavatis, quarto et quinto subglobosis, sexto ad decimum campanulatis; articulis quinque basis rufis, apice nigra; caeteris totis nigris. Palpis nigris. Mandibulis nigris, basi rufis.

Thorax quadratus, angulis obtusis; coleoptris angustior; subtilissime confertissimeque punctus; lanugine rara tectus; linea media longitudinali, antice subobsoleta, postice laevissima nitida.

Scutellum triangulare, nigro - sammetinum, marginibus lineaque media longitudinali nudis.

Coleoptra subquadrata, angulis obtusis; opaca, nigro-cinereoque nebulosa seu tessellata.

Abdomen dorso flavo - cinereo - nigro - fuscoque varium, punctis interdum majoribus nigro - sammetinis duobus segmenti singularis; ventre pectoreque villis densis argenteo-sericeis, punctis minutis nigris passim intermixtis, vestitis.

Pedes, femoribus nigris, nitidis, nudis, annulo rufo; tibiis tarsisque obscuris, pilis grisescentibus vestitis.

Variat capite paulo latiore vel paulo angustiore quam thorax.

Habitat in humidis arenosis, in fimo bovino.

St. pubescens Fabr. Ent. Syst. St. n. 5.
- *Payk.* Mon. St. n. 9.
- *Payk.* Fn. Suec. St. n. 13.
- *De Geer* Mem. St. n. 2.
- *Olivier* Ent. St. n. 15. pl. II. f. 15.
- *chrysocephalus Fourcr.* Ent. Par. St. n. 8.

Geoffr. Hist. St. n. 8.

14 *St. nebulosus*, obscuro - nebulosus; palpis, pedumque geniculis tibiisque rufis, thorace angulis anticis acutis.

Longitudo 6 — 7 lin.

Caput orbiculatum, thoracis magnitudine, subtilissime punctum, opacum, griseo - virescens, obscure - nebulosum; linea media longitudinali aeneo - nitida, laevi, obsoleta. Clypeo, labro, palpis, antennarumque basi rufis; apice antennarum fusca. Mandibulis nigris.

Thorax quadratus, basin versus sensim angustatus; angulis anticis acutis; colore capitis; subtilissime punctus, opacus; linea media longitudinali obsoleta, basi nitida.

Scutellum St. *pubescentis*; interdum autem, sammeto detrito, laeve, opacum, nigerrimum punctum.

Coleoptra quadrata, angulis obtusis; thorace latiora; opaca, subtilissime puncta; colore thoracis.

Abdomen nigrum, dorso subgriseo - virescenti - nebulosum, ocellis segmenti singularis duobus nigro - sammetinis, fulvoque sericeis, saepius autem obsoletis; infra, segmentorum basi, pectoreque argenteo - sericantibus.

Pedes rufi; tibiis apice obscurioribus; femoribus basi nigris; femorum capitibus nigris, argenteo - subsericantibus.

Habitat in fimo.

St. nebulosus Fabr. Ent. Syst. St. n. 3.

- *Payk.* Fn. Suec. St. n. 11.

Geoffr. Hist. St. n. 6.

15 *St. murinus*, abdomine palpisque nigris; capite, thorace, elytrisque subaeneo - nitidis, obscure - nebulosis.

Habitu St. praecedentis; statura autem minore, thorace basin versus vix ac ne vix quidem angustato, oculis multo majoribus, palpis nigris &c.

Longitudo 4 — 6 lin.

Caput quadratum, angulis obtusis, subtransversum, punctum, cupreo - vel olivaceo - subaeneum, obsolete nebulosum. Clypeo et labro concoloribus. Mandibulis palpisque nigris. Antennis rufescentibus vel fuscescentibus, vel basi pallidioribus, caeterum antennis St. praecedentis similibus.

Thorax magnitudine circiter capitis; quadratus, angulis anticis acutis; capitis colore; punctus, opacus; linea media longitudinali obsoleta, basi autem nitidissima laevissima.

Scutellum et *coleoptra* St. praecedentis.

Abdomen nigrum; segmento primo et secundo, dorso, fulvo-nigroque subsericantibus; infra, segmentorum basi, pectoreque subargenteo-sericantibus.

Pedes plerumque nigri; interdum autem apice femorum, basique tibiarum rufis.

Variat capite paulo angustiore vel paulo latiore quam thorax; colore plus minusve nitido vel obscuro et opaco.

Habitat in fimo.

St. murinus Fabr. Ent. Syst. St. n. 4.
- *Rossi* Fn. Etr. n. 608.
- *Payk.* Mon. St. n. 14.
- *Payk.* Fn. Suec. n. 11.
- *Olivier* Ent. St. n. 14. pl. VI. f. 51.
- *Panzer* Fn. Germ. H. 66. t. 16.

Fam. III.

Corpus nitidum.

Caput nitidum, laeve, lateribus basis punctum. *Antennis* extrorsum crassioribus; articulo primo longiore clavato, ultimo obtuso. *Palpis*, articulo ultimo acuto ovato.

Thorax suborbiculatus; antice truncatus, angustior, angulis nempe deflexis; nitidus, laevis, punctis quibusdam impressus. Canalicula marginali crenulata.

Coleoptra subquadrata, angulis obtusis, thoracis magnitudine vel paulo majora; nitida, confertim puncta.

Abdomen nitidum.

16 *St. splendens* niger, nitidus; elytris viridi-aeneis; thorace punctis quibusdam singulis impresso.

Longitudo $4\frac{1}{2}$ — 6 lin.

Caput orbiculatum, thoracis magnitudine, pone oculos punctum. Antennis, articulis, primo longiore clavato, secundo et tertio brevioribus clavatis, sequentibus subcampanulatis, ultimo oblique truncato.

Thorax glaber, punctis aliquot majoribus in angulis anticis impressus.

Coleoptra thorace paulo longiora et latiora, pilis brevibus vestita.

Abdomen infra, speciminibus quibusdam, segmento penultimo profunde inciso, antepenultimo sinuato; quibusdam autem segmentis omnibus simplicibus.

Pedes, tarsis anticis dilatatis.

Variat capite paulo latiore vel paulo angustiore quam thorax.

Habitat ubique in fimo.

St. splendens Fabr. Ent. Syst. St. n. 19.

- *Payk.* Fn. Suec. St. n. 9.

17 *St. laminatus* niger, nitidus; capite thorace, elytrisque viridi-aeneis; thorace glaberrimo, impuncto.

Habitu omnino St. praecedentis. Statura autem capiteque minoribus; capite thoraceque nitidissimis, hoc glaberrimo laevissimo.

Longitudo 4 — 5 lin.

Caput thorace paulo angustius.

Abdomen, infra, segmento penultimo quibusdam producto, quibusdam simplici.

Variat thorace viridi-vel atroviridi-vel violaceo-aeneo.

Habitat in fimo bovino, rarior.

St. laminatus Creutzer Vers. p. 128. t. 3. f. 31.

- *Panzer* Fn. Germ. H. 67. t. 20.

- *aeneus* De Geer Mem. St. n. 9.

18 *St. aeneus* niger, nitidus; elytris viridi-aeneis; thorace seriebus dorsalibus quadri-punctis; capite orbiculato.

Habitu St. praecedenti similis; seriebus autem punctorum distinctus.

Longitudo $3\frac{1}{4}$ — $4\frac{1}{2}$ lin.

Caput orbiculatum, thoracis circiter magnitudine. Antennis, articulis sexto ad decimum transversis pateraeformibus.

Thorax laevis, punctis, marginali uno, lateralibus duobus, seriebus duabus dorsalibus quadripunctis.

Variat capite paulo angustiore vel paulo latiore quam thorax, orbiculato vel, rarius attamen, transverso.

Habitat in fimo.

St. aeneus Rossi Fn. Etr. n. 613.

19 *St. politus* niger, nitidus, elytris aeneis; thorace seriebus dorsalibus quadripunctis; capite ovato; alis fuscis.

Habitu St. praecedentis; statura autem graciliore; punctis subtilioribus; capite ovato; tarsis anticis simplicibus &c.

Caput ovatum, thorace plus minusve angustius.

Thorax punctis marginalibus duobus; seriebus lateralibus tripunctis, dorsalibus quadri-punctis.

Abdomen, infra, segmento penultimo quibusdam inciso, quibusdam simplici.

Color et magnitudo variant.

Var. 1 St. capite, thorace, elytrisque viridi - aeneis; longitudine 4 — $4\frac{1}{2}$ lin.

Var. 2 St. niger; elytris nigro - aeneis; longitudine $4\frac{1}{4}$ lin.

Var. 3 St. niger; elytris viridi - aeneis; longitudine 5 lin — Frequentissimus.

Habitat in boletis, in fimo, ubique, per totum annum

St. politus Fabr. Ent. Syst. St. n. 20.

- *Rossi* Fn. Etr. n. 606.
- *Payk.* Mon. St. n. 31.
- *Payk.* Fn. Suec. St. n. 31.
- *Linn.* Fn. Suec. n. 843?
- *Olivier* Ent. St. n. 31. pl. II. f. 10.
- *aeneus Fourcr.* Ent. Par. St. n. 17.
- *Geoffr.* Hist. St. n. 17.

Entomologorum plurimi asserunt, numerum punctorum thoracis hujus speciei valde variabilem esse. Manifesto autem plures species (e. g. *St. politum, variantem, punctum* &c.) confundunt, bene tamen distinctas. Mihi, inter magnam Staphylinorum copiam, nunquam *St. politus* „seriebus „dorsalibus thoracis quinquepunctis„ vel *St. punctus* "late- „ribus thoracis parumpunctis" &c. occurrerunt.

Eadem constantia punctorum thoracis longe plurimis Staphylinis hujus familiae est; et minime ad sententiam Paykulli accedo, dicentis „Numerus punctorum excavato- „rum thoracis *(St. politi)* variat, quod de specie praeceden- „te *(St. nitido)* et sequente *(St. marginato)* etiam valet."

Ratione etiam coloris ego nunquam talem inconstantiam observavi, qualem alii observasse contendunt. *St. politum*

elytris rufis seu pedibus pallescentibus nunquam vidi; inde credo, *St. politi Scopol i* varietates „elytris rufis et pedibus „pallidioribus" ad alias species, forsan ad *St. nitidum* vel ad *St. corruscum* &c. referendas esse.

Quisque jam conjiciet, ex hac specierum diversarum confusione multa etiam falsa citata auctorum profecta esse. Et res ita se habet. *St. aeneus De Geeri* (Mem. St. n. 9.) quem Dom. *Paykull* et *Panzer* allegaverunt, varietas est *St. laminati* (n. 17.) — *St. minorem nigrum De Geeri* (Mem. St. n. 7.) a Dom. *Fabricio* citatum, ad *St. Similem* (n. 3.) retuli; item *St. atrum* &c. *Geoffroyi* (Hist. St. n. 3.), quem Dom. *Panzer* sub *St. polito* (*St. puncto*) citavit — Hic autem Staphylinus, a Dom. *Panzer* (Fn. Germ. H. 27. t. 7.) sub nomine *St. politi* exhibitus, simillimus est *St. puncto*, et liceat mihi, illum ad hunc referre. Taceo de illis auctoribus, qui quidem *St. politum* descripserunt, cum aliis autem similibus conjunxerunt; horum enim numerus maximus est.

20 *St. decorus* niger, subnitidus; capite, thorace, elytrisque aeneis; capite ovato; thorace seriebus dorsalibus quadripunctis.

Habitu praecedenti simillimus; capite autem paulo majore, plerumque viridi-aeneo; elytris depilibus; punctis subtilioribus; nitore caeciore.

Longitudo $4\frac{1}{2}$ — $5\frac{1}{2}$ lin.

Variat capite thorace elytrisque viridi- vel cupreo- vel nigro-aeneis.

Habitat passim in fimo, in quisquiliis, sub lapidibus.

St. decorus — Mus. Prof. *Knoch*.

21 *St. varians* niger, nitidus; elytris aeneis; alis albis; capite ovato; thorace seriebus dorsalibus quadripunctis.

Habitu St. *politi* (n. 19.); statura autem minore; nitore splendidiore; punctis crassioribus; alis albis, puncto marginali fusco; elytris depilibus.

Longitudo 3 — $3\frac{1}{4}$ lin.

Variat elytris viridi- vel nigro aeneis; thorace seriebus dorsalibus quadripunctis, vel, rarissime tamen, quinquepunctis; tarsis anticis subdilatatis vel tenuibus.

Habitat in fimo, frequens.

St. varians Fabr. Ent. Syst. St. n. 22.

- *Payk.* Mon. St. *et* Fn. Suec. St. n. 33.
- *Olivier* Ent. St. n. 35. pl. V. f. 46.
- *politus Linn.* Fn. Suec. St. n. 843?
- *Schrank* Austr. n. 437.

Haec Staphylinorum species saepius cum aliis, praecipue cum *St. polito* (n. 19.) confusa esse videtur — *St. politi Paykulli* var. β „elytrorum macula sanguinea" ad *St. bipustulatum* (n. 54.) speciem satis distinctam, pertinet.

22 *St. punctus* nitidus, niger; thorace lateribus multi-puncto.

Habitu St. praecedentium; satis autem distincta species.

Longitudo $3\frac{1}{3}$ — $4\frac{1}{2}$ lin.

Caput orbiculatum, thorace vix angustius, nigrum, nitidum, confertim punctum, medio laevissimum.

Thorax niger, nitidus; lateribus multi-punctus, punctis interdum in series tres subdispositis; seriebus dorsalibus constantibus, octo- ad duodecim-punctis.

Coleoptra nigro- vel subviridi-aenea, depilia.

Habitat in paludosis, sub vegetabilibus putrescentibus, cum pluribus hujus generis.

St. politus Panzer Fn. Germ. H. 27. t. 7.

23 *St. atratus*, niger, nitidissimus; elytris aeneis; capite orbiculato; thorace, seriebus dorsalibus quadripunctis.

Habitu St. praecedenti simillimus; punctura *St. politi*, punctis autem crassioribus; nitore splendidiore; elytris depilibus.

Variat elytris nigro- vel virescenti-aeneis.

Habitat cum St. praecedente, in paludosis.

24 *St. lucidus*, niger, nitidus; elytris viridi-aeneis; pedibus fuscis; capite orbiculato; thorace seriebus dorsalibus quadri- vel quinque-punctis.

Habitu St. praecedentis; statura autem minore; elytris subpilosis; pedibus fusco-piceis.

Longitudo 2 — $2\frac{1}{2}$ lin.

Habitat — Mus. Prof. *Hellwig*.

25 *St. concinnus*, niger, nitidus; elytris viridi-aeneis; pedibus fuscescentibus; capite suborbiculato; thorace seriebus dorsalibus quinquepunctis.

Habitu St. praecedenti simillimus; statura autem majore; thorace semper seriebus dorsalibus quinquepunctis; elytris depilibus.

Longitudo $2\frac{1}{2}$ — 3 lin.

Habitat — Mus. Prof. *Hellwig*.

26 *St. Boops*, niger, nitidus; antennis pedibusque testaceis; oculis magnis; thorace seriebus dorsalibus tripunctis.

Statura, St. praecedentibus, minor et crassior.

Longitudo $1\frac{3}{4}$ lin.

Caput orbiculatum, thoracis latitudine; oculis magnis, oblongis, capitis fere longitudine; antennis capite paulo longioribus.

Thorax punctis serierum crassioribus.

Coleoptra subviridi-aenea.

Habitat — Mus. Prof. *Hellwig*.

27 *St. cephalotes*, niger, nitidus; elytris viridi-aeneis; antennis pedibusque fuscis; capite latiore quam thorax; hoc seriebus dorsalibus quadripunctis.

Habitu St. praecedentium; capite autem multo latiore.

Longitudo $2\frac{3}{4}$ lin.

Caput orbiculatum, thorace latius; oculis parvis.

Habitat — Mus. Prof. *Hellwig*.

ebeninus Grav.

28 *St. brevicornis*, niger, nitidus; thorace seriebus dorsalibus quinque-punctis; capite orbiculato, antennis paulo breviore.

Statura, St. praecedentibus gracilior.

Longitudo $3\frac{3}{4}$ lin.

Caput orbiculatum, thorace paulo angustius. *Antennis* capite vix brevioribus, rigidis, crassis; articulis sexto ad decimum transversis.

Abdomen gracile, elongatum, coleoptris plus triplo longius.

Habitat — Mus. Prof. *Hellwig.*

29 *St. rigidicornis*, niger, nitidus; elytris aeneis; pedibus piceis; antennis brevibus; thorace seriebus dorsalibus quadri-punctis.

Habitu St. praecedentis; statura autem minore; capite majore; thorace paulo longiore &c.

Longitudo $2\frac{3}{4}$ lin.

Caput suborbiculatum, thoracis magnitudine; antennis St. praeced.

Thorax suborbiculatus, latitudine paulo longior, coleoptris angustior.

Coleoptra viridi-aenea.

Habitat — Mus. Prof. *Hellwig.*

30 *St. parvicornis*, niger, nitidus; elytris aeneis; capite ovato, antennis brevibus; thorace seriebus dorsalibus quadripunctis.

Habitu, praecedentibus multo gracilior, quo cum varietatibus *St. fulvipedis* magis congruit.

Longitudo $2\frac{1}{2}$ lin.

Caput parvum, ovatum, thorace angustius; antennis *St. brevicornis.*

Thorax suborbiculatus, coleoptris angustior.

Habitat — Mus. Prof. *Hellwig.*

31 *St. carbonarius*, niger, nitidus; antennis pedibusque fuscis; thorace punctis aliquot obsoletis impresso.

Habitu St. *brevicornis* (n. 28.); capite autem minore, antennis longioribus, thoracis punctis obsoletis &c., differt — A varietatibus quibusdam *St. nitidi*, capite minore, praecipue autem thoracis medio haud dilatato, distingui potest.

Longitudo $3\frac{2}{3}$ lin.

Caput ovatum, thorace angustius; antennis capite duplo fere longioribus, articulis sexto ad decimum campanulatis.

Habitat — Mus. Prof. *Hellwig*.

32 *St. marginatus*, niger, nitidus; thoracis margine laterali, pedibusque flavescentibus.

Habitu St. *variantis* (n. 21.).

Longitudo 3 — 4 lin.

Caput suborbiculatum, thorace minus; antennis capitis thoracisque longitudine.

Thorax seriebus dorsalibus quadripunctis, coleoptris paulo minor.

Coleoptra thorace paulo longiora, nitida, nigra; pilis brevissimis, tenuibus, cinereis, decumbentibus, tecta.

Pedes, capitibus femorum anteriorum, femoribusque flavis; tarsis, tibiis, geniculisque fuscis.

Habitat in Silvosis montosis, in fimo bovino.

St. marginatus Fabr. Ent. Syst. St. n. 30.

- *Payk.* Mon. St. *et* Fn. Suec. St. n. 32.
- *Olivier* Ent. St. n. 33. pl. III. f. 29.

33 *St. fulvipes*, ater, nitidus; elytris pedibusque rufo-testaceis; thorace seriebus dorsalibus sexpunctis.

Statura, St. praecedentibus gracilior.

Longitudo $2\frac{1}{2}$ — 4 lin.

Caput parvum, ovatum, thorace angustius, nitidissimum, nigrum; antennis capite thoraceque paulo longioribus, extrorsum subcrassioribus, basi testaceis vel fuscis.

Thorax coleoptris paulo minor, niger, nitidus; seriebus marginalibus bi-, lateralibus tri-, dorsalibus sex-punctis.

Coleoptra thorace paulo longiora, subquadrata, nitida, confertissime subtilissimeque puncta, pilis brevibus tenuibus tecta, rufo-testacea.

Abdomen nitidum, nigrum; ventre, pectoreque subflavo-sericantibus.

Habitat in paludosis, sub vegetabilibus putrescentibus, tempore vernali.

St. fulvipes Fabr. Ent. Syst. St. n. 31.

- *cruentus Oliv.* Ent. St. n. 34. pl. V. f. 49.

Credo utique, me verum *St. fulvipedem Fabr.* descripsisse. Locus, quem in *Fabr.* Ent. Syst. obtinet, et comparatio ejus cum statura et magnitudine *St. marginati* hoc confirmant — Sunt, qui hunc Staphylinum ad *St. flavipedem Fabr.* (Ent. Syst. St. n. 39.) referunt, minus autem apte, uti mihi videtur, hujus enim in Systemate locus et descriptio dissuadent.

St. fulvipes Panzeri (Fn. Germ. H. 27. t. 9.) longe est diversa species, ad unum alterumve familiae quartae Staphylinum, forsan ad *St. ochraceum* (n. 65.) referenda.

34 *St. micans*, niger, nitidus; griseo-sericans; pedibus testaceis; thorace seriebus dorsalibus sexpunctis.

Habitu omnino St. praecedentis.

Longitudo 3 — 4 lin.

Antennae fuscae, basi pallidae.

Caput et *thorax* nigri, nitidissimi, colore flavescente fugacissimo sericantes.

Coleoptra subquadrata, fuscescentia, pilis brevibus griseo-sericantibus vestita.

Abdomen subfusco-sericeum.

Habitat cum St. praecedente.

St. micans — Mus. Prof. *Knoch.*

Quamquam autem hic Staphylinus et St. *fulvipes* ejusdem sunt staturae et puncturae, et quamquam socialiter vivunt, distinctae attamen species esse videntur. Inter specimina plura nunquam *St. fulvipes* „capite thoraceque sericantibus, „elytrisve grisescentibus," nec *St. micans* „elytris rufis, „absque colore flavescente fugaci capitis thoracisque" mihi occurrerunt.

35 *St. opacus* niger, nitidus; pedibus subfuscescentibus; elytris subgrisescentibus; thorace seriebus dorsalibus quinque-punctis.

Habitu St. praecedentium; statura autem subcrassiore.

Longitudo 2 — $3\frac{1}{2}$ lin.

Coleoptra, quibusdam speciminibus, pilis brevissimis adpressis griseo-fuscescentibus, tecta; quibusdam autem fere nuda fuscescentia — Cave, ne horum individua quaedam cum varietate secunda *St. bipustulati* (n. 54.), cui similia sunt, confundes.

Habitat cum praecedentibus.

St. opacus — Mus. Prof. *Knoch.*

36 *St. nitens*, niger, nitidus; antennis pedibusque fuscis; elytris subgriseo-fuscescentibus; thorace seriebus dorsalibus quadripunctis.

Habitu St. *fulvipedis* (n. 33.); statura autem paulo graciliore.

Longitudo $2\frac{1}{3}$ lin.

Caput subovatum, thorace angustius; antennis capitis thoracisque longitudine.

Thorax punctorum ordine St. *politi* (n. 19.).

Habitat, cum St. praecedentibus, in paludosis, sub vegetabilibus putrescentibus.

37 *St. nitidulus*, nigricans, nitidissimus; antennis, palpis, pedibusque pallidis; thorace seriebus dorsalibus quadripunctis; capite suborbiculato.

Habitu St. *splendiduli* (n. 60.) hujus autem familiae.

Longitudo $1\frac{1}{2}$ — 2 lin.

Caput suborbiculatum, thorace minus, nitidissimum, laeve, punctis perpaucis basi impressum. Antennis capite longioribus; articulo ultimo subgloboso, subobliquetruncato.

Thorax suborbiculatus, latitudine vix paulo longior, coleoptris paulo angustior, nitidissimus, laevis, seriebus punctorum St. *politi* (n. 19.); punctis autem fere obsoletis.

Pedes rufi, vel rufo-testacei.

St. nitidulus — Mus. Prof. *Knoch.*

38 *St. attenuatus*, niger, nitidus; pedibus, antennis, palpisque pallidis; oculis magnis; abdomine longo.

Statura, St. praecedentibus procerior.

Longitudo $3\frac{1}{4}$ lin.

Caput orbiculatum, thorace vix angustius, nitidissimum. Oculis magnis oblongis. Antennis capite thoraceque brevioribus, luteis, apice fuscis.

Thorax coleoptrorum magnitudine, nitidissimus, laevis; punctis, marginali uno, lateralibus duobus, seriebus dorsalibus tripunctis, punctis autem obsoletis.

Coleoptra quadrata, subnuda, fuscescentia.

Abdomen gracile, apicem versus sensim attenuatum, coleoptris quinquies longius, nigrum.

Pedes testacei, tibiis posticis fuscescentibus.

Habitat Brunsuigae. —

39 *St. binotatus*, niger; pedibus, elytrorum apice, segmentorumque marginibus rufescentibus.

Habitu St. praecedentis; oculis autem parvis &c.

Longitudo $2\frac{1}{2}$ lin.

Caput suborbiculatum, thorace angustius, nitidissimum, laeve, punctis paucis basi impressum, nigerrimum; antennis, capite thoraceque vix brevioribus, fuscescentibus; palpis rufescentibus; oculis parvis.

Thorax coleoptris vix angustior, nitidissimus, glaber; punctis duobus dorsalibus, unoque marginali, distinctis, impressus; nigerrimus.

Coleoptra subquadrata, subtilissime puncta, nitidula, fuscescentia; marginibus lateralibus pallidioribus; apice, vel macula elytri singuli apicis, testacea.

Abdomen elongatum, apicem versus sensim angustatum, nigricans, subgriseo-sericeum; segmentorum marginibus rufescentibus.

St. binotatus — Mus. Prof. *Knoch.*

40 *St. albipes* niger, nitidus; antennis rufis; pedibus testaceis; capite subovato; thorace sericante, seriebus dorsalibus quadri-punctis.

Statura, St. *micante* (n. 34.) minor et latior, cui caeterum affinis est.

Longitudo $1\frac{3}{4}$ lin.

Caput subovatum, thorace angustius. Antennis, capite plus duplo longioribus, palpisque fuscis.

Thorax niger, nitidus, colore fugacissimo griseo sericans, punctis St. *variantis* (n. 21.).

Coleoptra quadrata, thorace paulo longiora et latiora, nigra vel obscure-picea, pilis brevibus tenuibus tecta.

Abdomen nigrum vel obscure-piceum.

Habitat Brunsuigae.

41 *St. fuscus*, nigro-fuscus, nitidus; thorace pallidiore, seriebus dorsalibus obsolete quadripunctis; elytris pedibusque rufis; capite orbiculato.

Habitu St. sequentis; statura autem capiteque latioribus.

Longitudo $2\frac{1}{2}$ lin.

Caput orbiculatum, thoracis latitudine; antennis capite longioribus.

Coleoptra depilia.

Habitat — Mus. Prof. *Hellwig.*

zu Nr. 41.

42 *St. subuliformis* fuscus, nitidus; thorace, elytris, pedibusque pallidioribus; capite subovato.

Habitu varietatum minorum pallidiorum St. *nitidi* (n. 46.); corpore autem graciliore, thorace haud dilatato.

Longitudo $2\frac{2}{3}$ lin.

Caput subovatum, thorace paulo angustius, nitidissimum, nigrum. Antennis capite longioribus.

Thorax laevis, impunctus, rufus.

Coleoptra et *pedes* rufo-testacei.

St. subuliformis - Mus. Prof. *Knoch.*

43 *St. terminatus*, fuscus, nitidus; pedibus, elytris, thoracisque margine postico, rufis; thorace seriebus dorsalibus quadripunctis.

Habitu St. praecedentis; statura autem paulo majore, antennarum articulo primo crassiore.

Longitudo 3 lin.

Caput orbiculatum, thoracis magnitudine, nitidissimum, nigro-fuscum; clypeo, palpis, antennisque pallidioribus; his capite paulo longioribus, articulo primo paululum longiore et crassiore quam in cospeciebus hujus familiae.

Thorax coleoptris paulo angustior, seriebus dorsalibus quadripunctis, nitidissimus, obscuro-fuscus; margine basis rufo.

Coleoptra nitida, rufo-fusca.

Abdomen fuscum; marginibus segmentorum pallidioribus; subgriseo-sericans.

St. terminatus — Mus. Prof. *Knoch.*

44 *St. fragilis*, fuscus, nitidus; thorace rufo, seriebus dorsalibus quadripunctis; elytris pedibusque testaceis; capite orbiculato.

Habitu omnino St. *subuliformis* (n. 42.); statura autem graciliore.

Longitudo $2\frac{1}{3}$ lin.

Habitat — Mus. Prof. *Hellwig.*

45 *St. lepidus* niger; antennis, pedibus, segmentorumque marginibus piceis; elytris rufescentibus; thorace seriebus dorsalibus quadripunctis; capite ovato.

Habitu St. fulvipedis (n. 33.); capite autem latiore.

Longitudo $2\frac{1}{4}$ lin.

Caput thorace angustius; antennis capite longioribus.

Habitat — Mus. Prof. *Hellwig*.

46 *St. nitidus*, nitidus; thorace medio latiore, angulis anticis declivis glabris; capite suborbiculato.

Caput suborbiculatum vel subovatum, plerumque thorace paulo angustius, interdum autem thoracis latitudine. *Antennis* vel capite vix longioribus, crassis, articulis sexto ad decimum pateraeformibus; vel capitis thoracisque longitudine, extrorsum vix crassioribus, articulis quarto ad decimum campanulatis.

Thorax medio latior characterem sistit, quo haec species facile ab omnibus praecedentibus distinguitur. Plerumque glaberrimus laevissimus est, puncto tantum uno alterove majore impressus; rarius puncto, marginali uno, lateralibus duobus, et seriebus dorsalibus tripunctis; punctis interdum obsoletis vel confluentibus.

Coleoptra quadrata, thoracis latitudine, nitida, plerumque pilis brevibus tenuibus obsita, rarius nuda.

Pedes tarsis anticis, speciminibus quibusdam, dilatatis, quibusdam autem, gracilibus.

Inter omnes Staphylinorum species haec facile plurimum variat, tam colore et magnitudine corporis, quam partium quarundam forma et proportione.

Var. 1 St. nigerrimus; antennarum apice fusca; longitudine 5 lin.

Var. 2 St. niger; antennarum apice tarsisque fuscis; longitudine 3 — 5 lin.

Var. 3 St. niger; antennis pedibusque fuscis; sutura rufa; longitudine $3\frac{1}{2}$ lin.

Var. 4 St. niger; antennis, segmentorumque marginibus, fuscis; pedibus testaceis; longitudine 3 lin.

Var. 5 St. niger; thorace, pedibusque fuscis; sutura rufa; longitudine 3 lin.

Var. 6 St. niger; antennis segmentorumque marginibus fuscis; elytrorum marginibus, pedibusque rufis; longitudine 4 lin.

Var. 7 St. nigro-fuscus; capite, coleoptrisque obscurioribus; longitudine $4\frac{1}{2}$ lin.

Var. 8 St. fuscus; capite nigro; pedibus testaceis; longitudine 4 lin.

Var. 9 St. niger; antennis, segmentorum marginibus, suturaque fuscis; pedibus testaceis; longitudine 3 lin.

Var. 10 St. rufo-fuscus; capite, thoraceque nigris; longitudine $2\frac{3}{4}$ lin.

Var. 11 St. niger; antennis, elytris pedibusque fuscis; longitudine 4 — 5 lin.

Var. 12 St. niger; antennis pedibusque fuscis; coleoptris castaneis; longitudine 5 — 6 lin.

Var. 13 St. niger; abdomine pedibusque fuscescentibus; elytris testaceis; longitudine 3 lin.

Haec varietas speciminum, quam magna etiam in hac specie sit, attamen non sufficit ad plures novas species con-

dendas. Varietates enim omnes, una sensim in alteram, ita transeunt, ut nulla certis finibus gaudeat.

Habitatio horum Staphylinorum haud minus multiplex est; habitant enim sub cortice arborum putrescente, in boletis, in fimo, immo, quamvis rarius, in floribus.

St. nitidus Fabr. Ent. Syst. St. n. 24.

- *Payk.* Mon. St. *et* Fn. Suec. St. n. 30.
- *Schrank* Boic. n. 864.
- *saxatilis Rossi* Fn. Etr. n. 615.
- *Schrank* Austr. n. 442.
- *fulvopterus* Fourcr. Ent. Par. St. n. 11.

Geoffr. Hist. St. n. 11.

Staphylinus huic similis *St. picipennis Payk.* (Fn. Suec. n. 8.) esse videtur; an eadem species? Fabricii autem *St. picipennis* huc non est numerandus; auctor enim staturam ei omnino *St. similis* tribuit.

St. nitidus, quem Dom. *Panzer* (Fn. Germ. H. 27. t. 8.) exhibuit, longe est diversa species, ad *St. glabrum* (n. 67.) referenda.

47 *St. coruscus*, niger, nitidus; elytris rufis; thorace seriebus dorsalibus quinque-punctis.

Habitu St. praecedentis; statura autem graciliore, capite minore, thorace medio angustiore.

Longitudo $3\frac{1}{2}$ — 4 lin.

Caput subovatum, thorace angustius; antennis, capite duplo longioribus.

Coleoptra quadrata subdepilia.

Habitat in fimo, rarior.

48 *St. tristis* niger, nitidissimus; antennarum articulo primo, palpisque rufis; thorace seriebus dorsalibus tripunctis.

Habitu St. *nitidi* (n. 46.); corpore autem latiore, oculis magnis, thorace medio angustiore &c.

Longitudo 5 lin.

Caput orbiculatum, thoracis latitudine. Oculis magnis oblongis. Antennis, capite paulo longioribus, fuscis, articulo primo rufo.

Thorax punctis, marginali uno, lateralibus duobus, seriebus dorsalibus tripunctis.

Coleoptra quadrata, thoracis latitudine, opaca, puncta; punctis subtilioribus quam in speciebus praecedentibus; pilis brevissimis, praecipue marginem lateralem versus, tecta.

Abdomen nigrum, subaeneum.

Pedes nigri; tarsis fuscis, anticis dilatatis.

Habitat Brunsuigae, raro.

St. tristis Fabr. Ent. Syst. St. n. 21.

49 *St. fuliginosus*, niger, nitidus; elytris opacis; antennis tarsisque fuscis; thorace medio latiore, seriebus dorsalibus tripunctis.

Habitu, varietatibus majoribus nigris *St. nitidi* similis; corpore autem latiore, coleoptris opacis. A St. praecedente oculis parvis, et thorace lato differt.

Longitudo $4\frac{1}{2}$ lin.

Caput orbiculatum, thorace vix angustius. Antennis capite paulo longioribus.

Pedes antici tarsis dilatatis.

Habitat — Mus. Prof. *Hellwig.*

50 *St. lateralis*, niger, nitidus; coleoptrorum margine laterali rufo; antennis tarsisque fuscis.

Habitu St. *nitidi* (n. 46.).

Caput suborbiculatum. Antennis capite paulo longioribus.

Thorax seriebus dorsalibus obsolete quadripunctis; punctis confluentibus.

Pedes antici tarsis dilatatis.

St. lateralis — Mus. Prof. *Hellwig.*

51 *St. impressus* niger, nitidus; elytris rufo-marginatis, tripuncto-striatis.

Habitu St. *nitidi* (n. 46.); thorace autem minus declivo.

Longitudo 4 lin.

Elytra tripuncto-striata hanc speciem ab omnibus similibus satis discernunt.

St. impressus Panz. Fn. Germ. H. 36. t. 21.

- *cinctus Payk.* Fn. Suec. St. n. 37.

Habitat — Mus. Prof. *Hellwig.*

52 *St. debilis*, niger, nitidus; elytris piceo-testaceis; thorace seriebus dorsalibus quinque-punctis; capite suborbiculato.

Habitu, St. praecedentibus gracilior.

Longitudo 2 lin.

Caput suborbiculatum, thorace angustius, nigrum; antennis, capite longioribus, fuscis.

Thorax lateribus minus deflexis quam in cospeciebus hujus familiae; seriebus marginalibus bi-, lateralibus tri-, dorsalibus quinque-punctis.

Abdomen, apicem versus attenuatum, atrum; infra, segmentorum marginibus fuscis.

Pedes fusci.

Habitat — Mus. Prof. *Hellwig*.

53 *St. sanguinolentus*, niger, nitidus; elytris sanguineo-notatis; sutura sanguinea; thorace seriebus dorsalibus quinque punctis.

Habitu St. *variantis* (n. 21.); capite autem orbiculato, sutura semper sanguinea, qua etiam optime a speciebus duobus sequentibus discernitur, quae nunquam sutura sanguinea occurrunt.

Longitudo $2\frac{2}{3}$ — 4 lin.

Variat elytrorum signaturis:

Var. 1 St. coleoptris pallido-sanguineis; margine laterali et postico nigris; pedibus pallidioribus.

Var. 2 St. elytris nigris; marginibus sanguineis; pedibus pallidis.

Var. 3 St. elytris nigris; striga humerali, suturaque sanguineis.

Var. 4 St. elytris nigris; puncto humerali, suturaque dimidia, sanguineis.

Var. 5 St. elytris nigris; sutura sanguinea.

~~*Var. 6 St.*~~ coleoptris nigris; sutura sanguinea.

Var. 6 St. coleoptris nigris; vitta arcuata sanguinea. — Arcus incipit summo elytrorum humero, et medio suturae sanguineae jungitur. Oritur, striga humerali elytrorum varietatis tertiae prolongata et sutura sanguinea conjunctis.

Inter multa hujus speciei specimina individuum vidi unicum varietatis sextae, thorace seriebus dorsalibus sex-punctis.

Habitat frequens in fimo bovino et equino, cum St. sequentibus.

Gravhn.

54 *St. bipustulatus*, niger, nitidus; elytris sanguineo-notatis; sutura nigra; thorace seriebus dorsalibus quinque-punctis.

Habitu St. praecedentis; capite autem angustiore, suborbiculato; sutura semper nigra. — A. St. sequente corpore minus glabro et nitido, colore elytrorum obscuriore, thorace seriebus dorsalibus quinque-punctis, facile distingui potest.

Longitudo 2 — $3\frac{1}{4}$ lin.

Variat elytrorum signaturis.

Var. 1 *St.* elytris, macula oblonga laterali sanguinea.

Var. 2 *St.* elytris subrufo-nitentibus.

Var. 3 *St.* elytris, macula apicis sanguinea.

Var. 4 *St.* elytris, striga humerali sanguinea.

Var. 5 *St.* elytris striga disci sanguinea.

Var. 6 *St.* elytris, puncto humerali sanguineo.

Var. 7 *St.* elytris, puncto humerali et striga discoidali, sanguineis, confluentibus.

Habitat in fimo cum St. praec.

St. bipustulatus Panzer Fn. Germ. H. 27. t. 10.

– *varians Payk.* Mon. St. *et* Fn. Suec. St. n. 33. *β.*

Haereo, an *St. bipustulatum Fabr.* (Ent. Syst. St. n. 34.) huc referam.

St. bipustulatus Rossii (Fn. Etr. n. 602.) potius ad Aleocharam quamdam, statura et habitu Al. *fuscipedis* vel *bipunctatae* &c. referendus est, quod descriptio hujus insecti „thorax gibbus, elytra rotundata," longitudo, latitudo et habitatio probant. Loco, e Rossii Fn. Etr. allegato, delenda ergo sunt citata „Fabr. E. S. Staph. n. 34" nec non „Panzeri Fn. Ins. G. H. 16. t. 21," quae *Oxyporum bipustulatum Fabr.* exhibet, insecta plane diversa.

55 *St. bimaculatus* niger, nitidissimus, elytrorum macula magna rufo-testacea; thorace seriebus dorsalibus quadripunctis.

Habitu St. praecedentis; capite autem thoraceque glabris nitidissimis; hoc, seriebus dorsalibus quadripunctis &c.

Longitudo 3 — $3\frac{3}{4}$ lin.

Thorax punctorum distributione St. *politi* (n. 19.).

Elytra vel testaceo-rufa, marginibus nigris; vel nigra, macula apicis magna rufo-testacea, semper pallidiore quam in St. praecedente.

Habitat cum St. praecedente; rarius autem occurrit.

56 *St. discoideus*, niger, nitidus; palpis, antennis, pedibus, elytrorum segmentorumque marginibus rufis; thorace seriebus dorsalibus quinque-punctis.

Habitu St.. *sanguinolenti* (n. 53.); statura autem paulo crassiore; capite orbiculato, thoracis latitudine; antennis capite paulo longioribus.

Longitudo $2\frac{1}{2}$ lin.

Habitat — Mus. Prof. *Hellwig*.

57 *St. ochropus*, niger, nitidus; antennis fuscis; pedibus pallidioribus; thorace seriebus dorsalibus quinque-punctis.

Habitu plurimorum hujus familiae Staphylinorum; thorace autem paulo longiore.

Longitudo 2 — $2\frac{1}{2}$ lin.

Caput suborbiculatum, thoracis magnitudine; palpis antennisque fuscis; his articulo ultimo vix oblique truncato, potius ovato obtuso.

Thorax sub-orbiculatus, antice vix angustior vel deflexus; latitudine paulo longior; seriebus dorsalibus quinque-rarius sex-punctis.

Coleoptra subquadrata, thoracis latitudine, viridi-vel nigro-aenea.

Habitat in montosis sylvosis, in stercore equino et bovino.

58 *St. tenuis*, niger, nitidus; thorace, coleoptrorum dimidia parte posteriore, pedibusque rufo-testaceis.

Habitu caeterarum hujus familiae specierum; thorace autem longiore; antennarum articulo ultimo haud oblique truncato, sed obtuso ovato.

Longitudo 2 lin.

Caput ovatum, glaberrimum, laevissimum, thorace paulo angustius.

Thorax subovatus, antice vix angustatus vel deflexus, nitidus, seriebus dorsalibus sex-punctis; punctura St. *fulvipedis* (n. 33.).

Pedes fusci, femoribus testaceis.

Habitat sub lapidibus, in colle graminoso aprico, prope Brunsuigam, rarissimus; semel tantum captus, tempore vernali.

St. tenuis Fabr. Ent. Syst. St. n. 43.

Paederus dimidiatus Panzer Fn. Germ. H. 27. t. 24.

Fam. IV.

Corpus lineare, nitidum.

Caput angulatum, angulis obtusis, punctum, thoracis circiter magnitudine. *Antennis*, articulo primo magno clavato; secundo et tertio brevioribus clavatis, ultimo ovato - acuto.

Thorax oblongus, angulis obtusis; punctus.

Coleoptra elongata, thoracis magnitudine.

59 *St. rufipennis*, niger, nitidus; antennis pedibusque fuscis; elytris rufis; capite thoraceque multipunctis.

Longitudo $4\frac{2}{3}$ lin.

Caput orbiculato-angulatum, thorace paulo latius, multipunctum. Mandibulis palpisque gracilibus longis. Antennis capite longioribus, articulis mediis campanulatis.

Thorax latitudine paulo longior, basin versus subangustatus; angulis anticis deflexis; multipunctus, subpuncto-striatus; medio nitidissimus, laevissimus.

Coleoptra latitudine paulo longiora, thoracis latitudine, nitida, puncta.

Pedes, tarsis tenuibus.

Habitat — Mus. Prof. *Hellwig.*

60 *St. splendidulus*, nitidus, obscurus; antennis, elytris, segmentorum marginibus, pedibusque pallidioribus; thorace seriebus dorsalibus quinque-punctis.

Longitudo $1\frac{1}{2}$ — 2 lin.

Caput oblongum, thoracis latitudine, laeve; punctis aliquot impressum; nigrum; palpis, antennisque rufis; his capite paulo longioribus, articulis sexto ad decimum pateraeformibus.

Thorax oblongus, basin versus subangustatus, coleoptris paulo angustior; punctura St. *opaci* (n. 35.).

Coleoptra subrectangula, nitida, puncta, depilia.

Color hujus speciei variat:

Var. 1 St. niger; antennis, elytris, segmentorumque marginibus fuscis; pedibus rufis Adultior.

Var. 2 St. fuscus; capite nigro; pedibus, segmentorumque marginibus testaceis — Junior.

St. splendidulus — Mus. Prof. *Knoch.*

61 *St. nigritulus*, nitidus, nigricans; antennarum basi, pedibus, palpisque rufescentibus; thorace ovato, seriebus dorsalibus quinque-punctis.

Habitu St. praecedentis; differt autem thorace subovato, nec basin versus angustato; antennis longioribus.

Longitudo $1\frac{1}{3}$ lin.

Habitat Brunsuigae.

62 *St. aterrimus*, niger, nitidus; palpis, antennis, pedibusque fuscis; thorace seriebus dorsalibus sexpunctis.

Habitu, St. *splendidulo* (n. 60.) paulo gracilior; nitore minus fulgido, antennis rigidioribus.

Longitudo 1½ lin.

Caput oblongum, angulis obtusis, basin versus paulo angustatum, nitidissimum, laeve, in angulis basis punctum; nigrum; antennis rigidis capite paulo longioribus, palpisque obscure fuscis.

Thorax rectangulus, angulis obtusis; punctura St. *fulvipedis* (n. 33.).

Coleoptra subrectangula, thorace paulo longiora et latiora, confertim puncta, pilis brevibus tenuibus parcis vestita.

Pedes rufo-fusci.

Habitat sub vegetabilibus putrescentibus, tempore vernali, haud frequens.

63 *St. parvulus*, niger, nitidus; pedibus, antennis, palpisque rufo-testaceis, thorace seriebus dorsalibus quinque-punctis.

Habitu, St. praecedentibus gracilior; capite apicem versus angustato; articulo primo antennarum crassissimo &c.

Longitudo 1½ lin.

Corpus filiforme, gracile, nitidum.

Caput oblongum; basi latum obtusum, apicem versus sensim angustatum; punctum, medio nitidissimum laevissimum; nigrum, palpis antennisque rufis apice fuscis. *Antennis* capite paulo longioribus; articulis, primo longissimo crassissimo clavato, secundo et tertio brevibus, quarto ad decimum pateraeformibus, latitudine crescente.

Thorax basin versus paululum angustatus; angulis anticis deflexis; nitidissimus, punctura St. *opaci* (n. 35.).

Coleoptra rectangula, thoracis magnitudine, nitida, confertim puncta, pilis brevibus tenuibus sparsim vestita, obscure picea.

Abdomen elongatum, apicem versus sensim attenuatum, nigrum; marginibus segmentorum obscure rufis.

Habitat sub cortice arborum demortuarum, rarissimus. Semel etiam captus in flore Crataegi Oxyacanthae.

64 *St. linearis*, niger, nitidus; pedibus testaceis; thorace seriebus dorsalibus multipunctis.

Habitu St. sequentis; statura autem multo minore, thoracisque punctura differt.

Longitudo 1$\frac{1}{3}$ lin.

Thorax seriebus marginalibus bi-, lateralibus tri-, dorsalibus sex-ad octo-punctis.

St. linearis — Mus. Prof. *Knoch.*

65 *St. ochraceus*, nitidus; colore variabili; thorace seriebus dorsalibus et lateralibus multi-punctis.

Habitu St. *parvuli* (n. 63.) thorace autem longiore et basin versus angustiore, abdomine obtuso &c.

Longitudo 2 — 3 lin.

Caput nitidum, punctum; punctis subtilissimis, haud confertis; medio nitidissimum laevissimum.

Thorax oblongus, basin versus sensim angustatus; seriebus dorsalibus novem-ad sedecim-punctis, lateralibus septem-vel octo-punctis, marginalibus tri-punctis; punctis subtilibus. — Series lateralis et marginalis apice ita inclinatae sunt, ut, junctim, figuram pedi episcopalis exhibeant.

Coleoptra rectangula, puncta, vel subpuncto-striata.

Color variabilis est:

Var. 1 St. niger; elytris obscure piceis; pedibus antennisque rufis.

Var. 2 St. niger; thorace, elytris, antennisque fuscis; pedibus rufo-testaceis.

Var. 3 St. niger; antennis, elytris, pedibusque rufis.

Var. 4 St. fuscus; capite nigro; elytris piceis; pedibus antennisque rufis.

Habitat sub cortice arborum putrescentium, sub lapidibus in uliginosis.

St. ochraceus — Mus. Prof. *Knoch.*

- *affinis Payk.* Fn. Suec. St. n. 16?
- *linearis Olivier* Ent. St. n. 21. pl. IV. f. 38?
- *fulvipes Panzer* Fn. G. H. 27. t. 9.

Paederus fulvipennis Panzer Fn. Germ. H. 27. t. 23?

Paederus testaceus Olivier Ent. Paed. n. 3. pl. I. f. 6? ?

Omnia hic citata insecta, habitu et magnitudine corporis, partiumque forma ac proportione St. *ochraceo Knochii* simillima sunt, uti figurae et descriptiones eorum exhibitae probant. Plurima autem seriebus punctorum thoracis carent, et, nisi incuria delineatorum hae series omissae sint, quod jure suspicor, ad alias species removenda sunt. Quam parum autem rationis hucusque serierum punctorum thoracis habitum est, figurae nec non descriptiones Staphylinorum, in Olivieri Entomologia exhibitae, Panzeri Fauna Insectorum Germaniae, et multa alia opera, in quibus Staphylini tractantur, probant, seriebus punctorum vel omnino omissis, vel horum numero neglecto. — His coactus, synonyma St. *ochracei* interrogative tantum allegavi, St. *fulvipede Panzeri* excepto, qui, seriebus thoracis in figura exhibitis,

omni jure huc referri potest, nec ad St. *fulvipedem Fabr*, quem Fabricius ipse, ratione staturae et magnitudinis, cum St. *marginato*, insecto satis distincto, comparat. — *Paederum fulvipennem Panzeri* potius ad hunc Knochii Staphylinum, quam ad P. *fulvipennem Fabr.* referre volui, cum Fabricius ipse dixerit, hunc Paedero elongato paulo majorem et ei affinem esse, quod e figuris, in Panzeri Fauna delineatis, nemini sane apparebit.

66 *St. elongatus*, nitidus, thorace seriebus dorsalibus quinque-vel sex-punctis, lateralibus septem-vel octo-punctis.

Habitu omnino St. praecedentis; statura autem paulo majore; punctis capitis thoracisque crassioribus

Longitudo $2\frac{1}{2}$ — $3\frac{1}{2}$ lin.

Thorax, seriebus lateralibus et marginalibus eodem modo junctis ut in St. praecedente.

Color variat:

Var. 1 *St.* fuscus; antennis, elytris, pedibusque rufescentibus.

Var. 2 *St.* niger; antennis, elytris, ano, pedibusque fuscis.

Var. 3 *St.* niger; antennis, ano, pedibusque fuscis.

Var. 4 *St.* niger; pedibus, segmentorumque marginibus rufescentibus.

Var. 5 *St.* nigerrimus; elytris semper puncto-striatis. — Punctura crassissima, magnitudine maxima insignis.

Habitat haud raro in fimo equino et bovino, primo vere.

St. elongatus Fourcr. Ent. Par. St. n. 27.

67 *St. glaber* niger, nitidus; antennis fuscis; elytris pedibusque rufo-testaceis; thorace seriebus dorsalibus sex-ad novem-punctis.

Habitu omnino St. duorum praecedentium; ratione autem numeri et crassitiei punctorum, inter illos medium tenet. Thoracis seriebus lateralibus et marginalibus St. praecedentium.

Longitudo $2\frac{3}{4}$ — 4 lin.

Caput, *thorax* et *abdomen* glaberrima, colore semper nigerrimo. *Elytra* et *pedes* rufi vel testace.

Habitat in stercore sicciore.

St. nitidus Panzer Fn. G. H. 27. t. 8.

Geoffr. Hist. St. n. 10. N. B.?

68 *St. elegans*, nigro-fuscus; thorace nigricante, antice rufescente, seriebus dorsalibus quinque-punctis; elytris pedibusque testaceis.

Habitu St. praecedentium; punctorum numero St. *elongati*, subtilitate St. *ochracei.*

Longitudo $3\frac{1}{2}$ — 4 lin.

Habitat Mus. Prof. *Hellwig.*

St. elegans Olivier Ent. St. n. 20. pl. V. f. 50.

- *tricolor Payk.* Mon. St. n. 23.

- *Payk.* Fn. Suec. St. n. 15.

An *Paederus tricolor Fabr.* eadem sit species, dubito, quia punctorum thoracis nulla facta est mentio.

69 *St. ustulatus* niger, nitidus; limbo coleoptrorum, ano, pedibus, antennis, palpisque rufis; thorace laevissimo.

Habitu St. praecedentium; statura autem minus gracili.

Longitudo 4 lin.

Caput oblongum, nitidissimum, laeve; punctis aliquot lateribus impressum, vix thoracis longitudine et latitudine; nigrum; antennis, capitis longitudine, palpisque rufis.

Thorax basin versus vix angustatus, niger, nitidissimus; punctis paucissimis, quatuor vel sex, impressus.

Coleoptra thorace paulo longiora, ejus vero latitudine, nitida, subpuncta, rufa, medio nigra.

Abdomen nitidum, obscure fuscum; ano rufo.

Pedes rufi; tarsis anticis dilatatis.

Habitat Brunsuigae.

70 *St. fulminans*, nitidus, nigro-fuscescens; antennis, elytris, pedibusque rufis; thorace laevi.

Habitu et statura St. praecedentis, et forte mera ejus varietas. — A St. sequente, cui caeterum habitu similis est, statura minore et angustiore, thorace punctis paucissimis obsoletis impresso, pedibus totis rufis, capite angustiore, antennis gracilioribus, differt.

Longitudo $3\frac{2}{3}$ — 5 lin.

Caput ovatum, nitidum, subpunctum, thoracis magnitudine.

Thorax subrectangulus, laevis, punctis vagis, quatuor vel sex, impressus.

Coleoptra, thoracis magnitudine, puncta, puncto-substriata.

Abdomen obscurum, ano pallido.

Pedes, tarsis anticis dilatatis.

Habitat — Mus. Prof. *Hellwig.*

St. fulgidus Olivier Ent. St. n. 19. pl. IV. f. 34.

Paederus fulgidus Panzer Fn. Germ. H. 43. t. 20.

71 *St. fulgidus* niger, nitidus; antennis fuscis; elytris tarsisque rufis; thorace seriebus dorsalibus quinque-punctis.

Habitu omnino St. praecedentis; statura autem majore et latiore, thoracis punctura, femoribus tibiisque nigris, diversus.

Longitudo 5 lin.

Habitat — Mus. Prof. *Hellwig.*

St. fulgidus Payk. Mon. St. n. 22.

- *Payk.* Fn. Suec. St. n. 14.

Paederus fulgidus Fabr. E. S. Paed. n. 6.

72 *St. alternans*, nitidus, rufus; capite, elytris, abdominisque apice nigris; capite quadrato.

Habitu St. praecedentium; statura autem graciliore, capite quadrato.

Longitudo $2\frac{1}{4}$ — 4 lin.

Corpus filiforme, gracile, nitidum.

Caput suborbiculatum vel quadratum angulis obtusis, nitidissimum, laeve, punctis perpaucis basi impressum; antennis capite longioribus.

Thorax nitidissimus, punctis perpaucis vagis impressus, capite angustior.

Coleoptra nitidissima, laevissima, nec puncta, nec puncto-striata.

Abdomen rufum, apice nigrum; ano attamen rufo.

Pedes, tarsis anticis dilatatis.

Color coleoptrorum variat.

Var. 1 *St.* major; coleoptris totis nigris.

Var. 2 *St.* minor; coleoptris nigris, basi albescentibus.

Habitat sub cortice arborum demortuarum.

St. alternans — Mus. Prof. *Knoch.*

73 *St. palmula* niger, nitidus; abdominis basi rufa; antennis, pedibusque testaceis; capite quadrato.

Longitudo 2⅓ lin.

Caput quadratum, nitidum, punctum, thorace vix latius, nigrum; ore antennisque testaceis; his, structura et longitudine ut in St. praecedente.

Thorax latitudine paulo longior, subquadratus, nitidus, coleoptrorum magnitudine, punctis perpaucis vagis impressus.

Coleoptra subquadrata, nitida, laevia.

Abdomen, longitudine dimidii corporis, apicem versus sensim dilatatum, coleoptris multo latius, nitidum, punctum, rufum; segmentis penultimo et antepenultimo nigris.

Pedes rufo-testacei.

St. palmula — Mus. Prof. *Knoch.*

74 *St. cinerascens*, niger, subopacus; elytris pedibusque rufescentibus; thorace puncto-substriato.

Longitudo 2 lin.

Caput quadratum, angulis obtusis, thorace paulo latius, subnitidum, confertim punctum (antennae desunt.).

Thorax oblongus, subrectangulus, angulis obtusis; punctus, subpuncto-striatus, medio laevis nitidissimus; coleoptris angustior et brevior.

Coleoptra rectangula, subtilissime puncta, opaca, subfuscescente-sericantia.

Abdomen subfuscescente-sericans.

Pedes pallidi, rufo-fusci.

St. cinerascens — Mus. Prof. *Knoch.*

Genus II.

Lathrobium.

Palpi acuminati.

Thorax oblongus, punctus.

Corpus elongatum.

Caput supra convexum, infra planum; punctum — *Palpi* acuminati; anteriores quadri - articulati; posteriores tri-articulati — *Antennae* filiformes; articulis primo maximo, secundo brevi, tertio majore, clavatis; sequentibus suborbiculatis; ultimo ovato acuto — *Oculi* parvi.

Thorax elongatus, angulis obtusis, convexus, lateribus declinatus, punctus. *Ora* laterali deflexa, glaberrima, basi lata, apicem versus angustata.

Coleoptra rectangula, subdepressa, thorace paulo longiora, lateribus deflexa.

Abdomen marginatum, supra et infra convexum.

Pedes cursorii — Capitibus femorum approximatis; anterioribus femore duplo brevioribus et multo gracilioribus; posticis brevissimis, absconditis — Femoribus crassiusculis (brevioribus et validioribus quam in genere praece-

dente) — Tibiis ciliatis — Tarsis; articulis brevibus, omnibus longitudine aequali; anticis plerumque dilatatis.

1 L. *castaneum*, fuscum, nitidum; infra pallidum; pedibus testaceis; thorace, seriebus dorsalibus multi-punctis.

Habitu L. sequentium; seriebus autem punctorum thoracis, nitore splendidiore, pedibus gracilioribus, hoc genus cum familia ultima Staphylinorum nectitur

Longitudo $2\frac{1}{3}$ lin.

Caput magnitudine thoracis, nitidum, punctum, rufo-fuscum; infra testaceum.

Thorax paulo convexior et angulis rotundioribus, quam caeteris Lathrobiis; nitidus; lateribus multi-punctus; dorso laevissimus, seriebus duabus decem-punctis; rufo-fuscus, infra testaceus.

Coleoptra subrectangula, nitida, puncta, rufo-fusca.

Abdomen supra fuscum, infra basi rufum seu testaceum.

Pedes graciles (ut in Staphylinis); testacei.

Staphylinus — Mus. Prof. *Knoch.*

2 L. *multipunctum*, nitidum, rufo-piceum, abdomine fusco.

Longitudo 3 lin.

Caput suborbiculatum sive quadratum angulis obtusis, nitidum, confertim punctum, rufescens; oculis nigris; thorace latius sed brevius.

Thorax subrectangulus; angulis obtusis; basin versus subangustatus; punctus; linea media longitudinali, obsoleta, laevissima; rufescens.

Coleoptra rectangula, thorace latiora, puncta, piceo-testacea.

Abdomen nigricans.

Pedes rufo-testacei; tarsis anticis subdilatatis.

Paederus multip. — Mus. Prof. *Knoch.*

3 L. *badium*, fuscum, infra pallidius; antennis palpisque rufis; pedibus testaceis.

Longitudo 5 lin.

Caput ovatum; thorace latius; nitidum, subtiliter punctum; supra fuscum, infra testaceum seu rufum. Clypeo testaceo. Mandibulis arcuatis, gracilibus, acutis. Palpis, antennisque pallide rufis.

Thorax rectangulus, capitis longitudine, nitidus, rufo-fuscus, punctus; punctis irregularibus rugosis.

Coleoptra rectangula, thorace latiora, nitida, puncta, ad suturam subpuncto-striata; rufescentia.

Abdomen rufo-fuscum, versus apicem pilosum.

Pedes tenues, rufi; femoribus testaceis; tarsis anticis tenuibus.

Paederus badius — Mus. Prof. *Knoch.*

4 L. *longulum*, nigrum, nitidum; ore, antennis, pedibusque rufo-testaceis.

Habitu L. praecedentis; statura autem multo minore et graciliore.

Longitudo $1\frac{1}{2}$ lin.

Caput ovatum; basi latum, thorace latius, apicem versus angustatum; punctum, nitidum, nigrum; ore antennisque rufis vel fuscescentibus, his capite duplo longioribus.

Thorax rectangulus, angustus, nitidus, punctus, niger; linea media longitudinali glaberrima.

Coleoptra rectangula, thorace paululum latiora, nitida, subtiliter puncta.

Pedes rufi vel testacei; tarsis anticis dilatatis.

Paederus longulus — Mus. Prof. *Knoch.*

5 *L. fracticorne* nigrum, nitidum; pedibus testaceis; antennarum articulo primo longissimo clavato.

Habitu L. *elongati* (n. 8.); statura autem graciliore, nitore paululum splendidiore, antennarum articulo primo capitis fere longitudine.

Longitudo $2\frac{1}{3}$ lin.

Caput magnum, oblongum, thoracis latitudine, nitidum, punctum. Ore producto. Antennis capite thoraceque vix brevioribus; articulis, primo longissimo clavato, secundo minimo, caeteris subcrescentibus, ultimo obtusiusculo; articulus primus plerumque cum reliqua antennae parte angulum format, recto paululum majorem,

Thorax nitidus, niger, punctus, medio laevissimus; punctis, in strias interdum subdispositis, impressus.

Pedes testacei; tarsis anticis subtenuibus.

Habitat Brunsuigae.

Paederus fracticornis Payk. Fn. Suec. P. n. 5.

Paed. filiformis Fabr. Ent. Syst. P. n. 8.

Staph. glaberrimus Payk. Mon. Car. App. p. 137. n. 17. — 18.

6 *L. lineare,* nigricans; antennis elytrisque fuscis; pedibus rufis.

Habitu et punctura L. *elongati* (n. 8.); statura autem graciliore, thorace multo angustiore.

Longitudo $3\frac{1}{2}$ lin.

Paederus linearis — Mus. Prof. *Hellwig.*

7 *L. terminatum*, nigrum, nitidum; ore, antennarum basi, angulo inferiore exteriore elytrorum, pedibusque rufo - testaceis.

Habitu L. sequentis; statura autem multo graciliore, capite minore.

Longitudo $2\frac{3}{4}$ — $3\frac{1}{2}$ lin.

Corpus nitidum, filiforme, gracile, confertim et subtiliter punctum.

Caput orbiculatum, thorace minus, nigrum; antennis fuscis, basi rufis; ore rufo, palpis anterioribus apice fuscis.

Thorax coleoptris paulo angustior et brevior, punctus, linea media nitida longitudinali.

Elytra, angulo inferiore exteriore, vel pustula hujus anguli, rufo vel testaceo.

Abdomen apicem versus attenuatum.

Pedes testacei; tarsis anticis latis.

Habitat in fimetis, sub lapidibus.

Paederus terminatus — Mus. Prof. *Knoch.*

Paed. filiformis Payk. Fn. Suec. P. n. 4. var. *β.*

8 *L. elongatum*, nigrum, nitidulum; coleoptrorum apice sanguineo - rufa, pedibus rufo - testaceis.

Habitu L. praecedentium; statura autem paulo latiore et majore.

Longitudo $3\frac{1}{2}$ — $4\frac{1}{4}$ lin.

Corpus filiforme, subnitidum confertim punctum.

Caput suborbiculatum, thoracis latitudine, subtilissime punctum. Antennis moniliformibus, capite thoraceque brevioribus.

Thorax subrectangulus, latitudine paulo longior; angulis obtusis; capite paulo longior, punctus, linea media longitudinali laevissima nitida.

Coleoptra thorace paulo latiora et longiora; basi nigra, apice rufo-sanguinea.

Abdomen apicem versus subattenuatum.

Pedes, tarsis anticis dilatatis.

Habitat in fimetis, sub lapidibus.

Paederus elongatus Fabr. Ent. S. P. n. 3.

\- *Payk.* Fn. Suec. P. n. 3.

\- *Panzer* Fn. Germ. H. 9. t. 12.

Staphyl. elongatus Payk. Mon. St. n. 17.

\- *Schrank* Austr. n. 439.

9 *L. pilosum*, nigricans, nitidum, antennis pedibusque fuscis.

Habitu L. praecedentis; statura autem minus gracili; thorace, vix latitudine longiore, subtilius puncto.

Longitudo $3\frac{1}{6}$ lin.

Corpus nigrum vel nigro-fuscum, nudum vel pilosellum.

Paederus pilosus — Mus. Prof. *Knoch.*

10 *L. brunnipes*, nigrum, subopacum; pedibus antennisque rufo-fuscis.

Habitu L. *elongati* (n. 8.); statura autem plerumque paulo latiore, punctura subtiliore. A L. praecedente statura plerumque paulo longiore, nitore fere nullo, differt.

Longitudo 3 — 4 lin.

Habitat in fimetis, sub vegetabilibus putrescentibus.

Paederus brunnipes Fabr. E. S. P. n. 5.

Staphyl. punctatus Fourcr. E. Par. St. n. 14.

Geoffr. Hist. St. n. 14.

Paederus filiformis Payk. Fn. Suec. P. n. 4. *v. α*?

Nescio, an *P. filiformis Payk.* meliore jure ad hanc vel ad praecedentem speciem referri possit, credo autem, eum ad unam alteramve speciem numerandum esse. Certe non est idem cum *P. filiformi Fabr.*, cui primus antennarum articulus „magnus incurvus" est, Paykull enim dicit ipse de suo *P. filiformi* „antennae, articulo baseos reliquis non „multo longiore" — An *St. quadratus Payk.* (Mon. St.) idem sit, dubito, quia, in hujus descriptione, punctorum capitis thoracis elytrorumque nulla mentio facta est — Fabricius *St. quadratum Payk.* sub *P. filiformi* (Lathrob. fracticorne n. 5.) citavit.

Genus III.

Paederus.

Palpi anteriores triarticulati.

Palpi posteriores acuminati.

Antennae articulo ultimo ovato.

Corpus elongatum.

Caput convexum, magnum. *Antennis* filiformibus; articulis, primo clavato, ultimo ovato acuto. *Palpis anterioribus* triarticulatis, clavatis, articulo ultimo caeteris crassiore.

Thorax crassus, convexus.

Coleoptra rectangula, convexa, puncta, thorace longiora et latiora; lateribus deflexa.

Abdomen marginatum, longum, obtusum.

Pedes cursorii. *Capitibus femorum* approximatis; anticis femore brevioribus, hujus autem crassitie; mediis femore duplo brevioribus, hujus autem crassitie; posticis brevissimis absconditis. *Tibiis* gracilibus subciliatis. *Tarsis* gracilibus.

1 *P. ochraceus* nitidus, fuscus; capite nigro, thoraceque subquadratis.

Longitudo 1½ lin.

Caput quadratum, angulis obtusis, thoracis magnitudine, nigerrimum, nitidissimum; palpis antennisque rufescentibus; his capite thoraceque longioribus.

Thorax quadratus, angulis obtusis, longitudine latitudinem vix superante, coleoptris paulo angustior, nitidus, rufescens; linea media longitudinali elevata, obsoleta.

Coleoptra subrectangula, thorace paulo longiora, nitidiuscula, subtilissime puncta, piceo-testacea.

Abdomen nigricans, griseo-subsericeum, segmentorum marginibus rufescentibus.

Pedes testacei.

Aleochara ochracea — Mus. Prof. *Knoch.*

2 *P. bicolor*, nitidus, nigro-fuscus; elytris pallidioribus; capite nigro; thorace, pedibus, antennisque rufis.

Habitu P. praecedentis; statura autem graciliore.

Longitudo 1½ lin.

Corpus filiforme, gracile, nitidum, punctum.

Caput suborbiculatum, seu quadratum angulis obtusis, thoracis magnitudine, nitidissimum, subtilissime punctum, nigrum; ore antennisque rufis; his capite longioribus, moniliformibus, articulis, primo majore clavato, mediis campanulatis.

Thorax subquadratus, vix subrectangulus; coleoptrorum latitudine, rufus, nitidus, subtilissime punctus; linea media longitudinali laevissima nitidissima.

Coleoptra subrectangula, thorace longiora, depressiuscula, puncta, nitida, piceo-fusca, marginibus pallidiora.

Abdomen obscure fuscum, marginibus segmentorum pallidioribus.

Pedes rufo-testacei; femoribus crassioribus quam in caeteris Paederis.

Habitat sub lapidibus in locis altioribus, apricis, graminosis, tempore verno, — rarior.

P. bicolor Olivier Ent. P. n. 7. pl. I. f. 4.

3 P. *castaneus* subnitidus, fuscus; capite, abdominisque medio nigricantibus.

Habitu P. *ochracei* (n. 1.); statura autem majore, thorace basin versus angustiore &c.

Longitudo 4 lin.

Caput quadratum, angulis obtusis; thorace paulo majus, confertissime subtilissimeque punctum, nitidulum, nigricans; ore antennisque rufescentibus; his capite duplo fere longioribus, articulis mediis campanulatis.

Thorax suborbiculatus, seu subquadratus angulis obtusis; basin versus paulo angustatus; coleoptris angustior; confertissime subtilissimeque punctus, nitidulus, rufo-fuscus.

Coleoptra subrectangula, subtilissime puncta, fuscescentia.

Abdomen subgriseo-sericeum, nigricans; infra pallidius, apice rufescente.

Pedes rufi.

Paederus castaneus — Mus. Prof. *Knoch.*

4 *P. littoralis*, rufus; geniculis, capite, abdominisque apice nigris; elytris coeruleis; thorace globoso, suborbiculato.

Habitu, caeteris cospeciebus crassior, teretior.

Corpus nitidum, crassum; pilis crebrioribus rigidioribus, quam in cospeciebus, tectum.

Caput suborbiculatum, seu quadratum angulis obtusis; thorace majus, nitidum, laevissimum, nigrum. *Antennis*, capite thoraceque paulo longioribus; articulis, primo longiore, secundo brevi, tertio paulo longiore quam secundus, breviore autem quam primus, sequentibus, longitudine decrescente, subcylindricis seu oblongo-campanulatis, ultimo ovato acuto, fuscis; articulis tribus primis totis, quarto autem basi tantum, rufis. *Palpis* rufis; anterioribus, articulo ultimo apice nigricante tuberculato, tuberculo brevi obtuso.

Thorax convexior quam in P. praecedentibus, globosus, sub-orbiculatus, quibusdam basin versus angustatus; coleoptris angustior, nitidus, glaber, punctis paucis vagis impressus. Ora laterali deflexa, basi latiore, apicem versus angustata.

Coleoptra rectangula, thorace longiora, punctis confertis crassis cicatricosis impressa, nitidula, convexa.

Abdomen teretiusculum, apicem versus subangustatum.

Pedes, tibiis ciliatis.

Variat forma thoracis.

Var. 1 P. thorace, longitudine latitudinem paululum superante, cordato; capite magno orbiculato; longitudine 4 lin.

Var. 2 P. thorace globoso orbiculato; capite magno; longitudine 4 lin.

Habitat circa Blankenburg.

P. littoralis — Mus. Prof. *Knoch.*

Hic Paederus hucusque saepius cum P. sequente confusus et pro ejus varietate declaratus est. Characteribus autem constantibus, capite magno, thorace globoso, statura majore, distinctus est. Nec habitat cum P. sequente; in regionibus humilioribus, circa Brunsuigam nunquam captus.

5 *P. riparius* rufus; geniculis, capite, abdominisque apice, nigris; elytris coeruleis; thorace oblongo, lateribus parallelis.

Habitu P. praecedenti simillimus; capite autem parvo, paulo minore quam thorax; thorace oblongo, pedibus gracilioribus; statura minore.

Longitudo 3 lin.

Habitat in gramine, ad radices arborum, primo vere, haud infrequens.

P. riparius Fabr. Ent. Syst. P. n. 1.
- *Payk.* Fn. Suec. P. n. 2.
- *Rossi* Fn. Etr. n. 626.
- *Panzer* Fn. Germ. H. 9. t. 11.
- *Olivier* Ent. P. n. 2. pl. I. f. 2.

Staphyl. riparius Linn. Fn. St. n. 846.
- *Payk.* Mon. St. n. 19.
- *De Geer* Mem. St. n. 14.
- *Schrank* Austr. n. 441 *et* Boic. n. 898.
- *Fourcr.* Ent. Par. St n. 21.

Geoffr. Hist. St. n. 21.

Staph. gregarius Scop. Carn. n. 308.

6 *P. orbiculatus* niger, palpis, antennis, margine coleoptrorum apicis, pedibusque pallide fuscis.

Longitudo 2⅓ lin.

Corpus, confertissime punctum.

Caput orbiculatum, thorace multo latius, confertissime punctum, opacum. Clypeo prominente, transverso, rotundato. Antennis capite longioribus; articulis mediis campanulatis.

Thorax subovatus, globosus; antice posticeque valde angustatus; capitis longitudine, opacus, confertissime punctus; linea media longitudinali, subelevata, laevi, nitida; ora laterali deflexa, basi lata, apicem versus angustata.

Coleoptra subrectangula, convexiuscula, thorace longiora et latiora, puncta, nitida, nigra, margine apicis plerumque rufescente; pilis tenuibus, brevissimis, subflavo-sericantibus interdum tecta, interdum omnino nuda nitidissima.

Abdomen obtusum, nitidiusculum, nigrum, subflavo-sericans.

Pedes graciles, fusco-testacei; tibiis nudis, laevibus.

Habitat in quisquiliis, sub lapidibus, primo vere.

P. orbiculatus Payk. Fn. Suec. P. n. 6.

- *Panzer* Fn. Germ. H. 43. t. 21.

- *Olivier* Ent. P. n. 6. pl. I. f. 7.

Staphyl. orbicul. Payk. Mon. St. n. 26.

Huc non est referendus *P. orbiculatus Fabr.* (Ent. Syst. *Paed.* n. 6.) qui cum *Paed. filiformi* (Lathrobium fracticorne n. 5.) comparatur.

7 *P. angustatus* niger; antennis, pedibusque fuscis; coleoptris apice testaceis.

Habitu P. praecedentis; statura autem graciliore, defectu lineae longitudinalis thoracis &c. differt.

Longitudo $1\frac{1}{2}$ — 2 lin.

Caput magnum, subquadratum, angulis obtusis, thorace longius et latius, opacum, confertissime punctum. Ore producto. Antennis capite longioribus; articulis, primo longiore, secundo et tertio brevioribus, clavatis, sequentibus suborbiculatis, ultimo ovato, mediis crassiore.

Thorax globosus, suborbiculatus, opacus, confertissime punctus.

Coleoptra subrectangula, convexiuscula, thorace longiora et latiora, subnitida, confertim puncta, nigra; margine apicis, vel apice et sutura ultra medium, testaceis.

Caetera ut in P. praecedente.

Habitat etiam cum illo, rarior autem.

P. angustatus Payk. Fn. Suec. P. n. 7. var. *κ*.

Staph. angustatus Fabr. Ent. S. St. n. 41.

- *Payk.* Mon. St. n. 27.
- *Panzer* Fn. Germ. H. 11. t. 18.

Genus IV.

Callicerus.

Palpi anteriores triarticulati.

Antennae articulo ultimo longo cylindrico.

Corpus gracile, filiforme, depile.

Caput orbiculatum, thoracis circiter magnitudine, subnitidum, subtilissime punctum. *Antennis* extrorsum paulo crassioribus; articulis, primo validiore, secundo et tertio brevioribus, clavatis; quarto ad nonum suborbiculatis; decimo longiore, cylindrico vel elongato-campanulato; undecimo longissimo, longitudine fere tertiae partis totius antennae, cylindrico, apice rotundato. *Mandibulis* exsertis, validis, apice incurvis acutis, margine interiore denticulatis. *Palpis* anterioribus triarticulatis, articulo ultimo clavato, caeteris crassiore; posterioribus acuminatis.

Thorax suborbiculatus, coleoptrorum latitudine; ora laterali deflexa.

Coleoptra subquadrata, thorace longiora.

Abdomen crassum, obtusum, marginatum.

Pedes omnino generis sequentis.

1 *C. obscurus*, niger, nitidulus; antennis, ore, pedibusque rufo-testaceis; coleoptris fuscis, margine pallidis.

Longitudo 1 lin.

Caput; antennis, capite thoraceque multo longioribus, rufis, basi obscurioribus.

Thorax suborbiculatus vel subquadratus angulis obtusis, basin versus paulo angustior.

Elytra fusca; humeris et sutura, imprimis apicem versus, pallidioribus.

Habitat in quisquiliis sub lapidibus, rarissimus; semel tantum captus Brunsuigae in horto aulico.

Genus V.

Aleochara.

Palpi acuminati.

Tibiae graciles, nudae.

Corpus elongatum, crassiusculum.

Caput suborbiculatum. *Antennis* extrorsum plerumque crassioribus; articulis, primo longiore, secundo et tertio brevioribus, clavatis, sequentibus brevibus, ultimo ovato.

Abdomen marginatum; dorso planiusculo, ventre convexo.

Pedes cursorii, graciles, nudi. Capitibus femorum anticis approximatis, femore crassioribus, ejus autem longitudine; mediis subremotis, femore vix brevioribus, ejusque crassitie; posticis approximatis, brevibus, abscondi-tis. Tibiis tarsisque gracilibus.

Familia I. Coleoptris quadratis, thorace latioribus; thorace convexo.

Familia II. Coleoptris quadratis vel longioribus, thoracis circiter latitudine; thorace convexo.

Familia III. Coleoptris transversis, thoracis latitudine; thorace convexo.

Familia IV. Coleoptris transversis, thorace latioribus; thorace convexo.

Familia V. Thorace deplanato.

Fam. I.

Caput globosum, thoracis magnitudine, vel paulo minus. *Antennis*, articulis mediis subtransversis.

Thorax orbiculatus vel globosus.

Coleoptra, thorace latiora, quadrata.

1 *Al. canaliculata*, rufo-fusca; capite, abdominisque segmento antepenultimo, nigris; thorace canaliculato.

Habitu Al. sequentis; statura autem majore, thorace longiore. Ab *Al. foveolata* (n. 3.), thorace ovato oblongo, capitis latitudine, differt.

Longitudo 2 — $2\frac{1}{3}$ lin.

Corpus subfiliforme, nitidulum.

Caput subtilissime punctum, thoracis latitudine. Antennis, capitis thoracisque longitudine; articulo ultimo oblongo, ovato, acutiusculo, valido; basi testaceis.

Thorax oblongo-ovatus, crassus, subtilissime punctus, capite longior; disco late foveolato, fovea canaliculata; interdum basin versus paulo angustatus.

Coleoptra subquadrata, subtransversa; thoracis longitudine, puncta, opaca.

Abdomen longum, obtusum; nitidum; dorso pilis brevibus rigidiusculis subsparsis tectum; rufo-fuscum; segmen-

tis penultimo et antepenultimo, vel penultimo solo, obscurioribus vel nigricantibus.

Pedes testacei.

Habitat sub lapidibus, in quisquiliis et inter segetes, haud rara.

Staph. canaliculatus Fabr. Ent. S. St. n. 42.
- *Payk.* Mon. St. *et* Fn. Suec. St. n. 23.
- *Panzer* Fn. Germ. H. 27. t. 13.
- *Olivier* Ent. St. n. 25. pl. III. f. 31.

Paederus impressus Rossi Fn. Etr. n. 627.

2 *Al. linearis*, nigro-fusca; antennarum basi pedibusque testaceis; thorace subfoveolato.

Habitu Al. praecedentis; statura autem minore, thorace breviore.

Caput thorace angustius, confertissime et subtiliter punctum, ocscure fuscum, opacum; palpis, antennarumque basi testaceis vel rufis; fronte planiuscula.

Thorax suborbiculatus, longitudine latitudinem vix excedente, opacus, confertim punctus, disco deplanato vel foveolato; fovea lata, haud canaliculata.

Coleoptra thorace paulo longiora, confertissime puncta, nitidula.

Abdomen nigrum, nitidulum; ano rufescente.

Pedes rufo-testacei.

Habitat sub arborum demortuarum cortice.

Al. linearis — Mus. Prof. *Knoch.*

3 *Al. limbata*, nitida, fusca; antennarum basi, elytrorum humeris, abdominis basi, pedibusque rufis; thorace foveolato.

Habitu Al. sequentis; thoracis autem foveola longitudinali latiore. Ab Al. *canaliculata* (n. 1.) thorace brevi, subgloboso &c. satis differt.

Longitudo 2 lin.

Corpus crassum, subnitidum.

Caput orbiculatum, globosum, thorace angustius, retractum, laeve, obscure fuscum; oculis nigris; antennis fuscis, basi palpisque rufis.

Thorax, latitudine longitudinem paulo excedente, subglobosus, apice truncatus, lateribus et basi rotundatus, coleoptrorum latitudine, laevis, fuscus, marginibus lateralibus pallidioribus, dorso fovea longitudinali lata impressus.

Coleoptra subtransversa, convexiuscula, laevia, nitida, rufo-fusca; humeris elytrorum pallidioribus.

Abdomen rufum, nitidum; medio, segmentis tribus vel quatuor, fuscum seu nigricans.

Habitat — Mus. Prof. *Hellwig*.

Staph. limbatus Payk. Mon. St. n. 54.

– *Payk.* Fn. Suec. St. n. 41.

Dom. *Paykull*, in Fn. Suec. citavit St. *flavescentem Fabr.*, interrogative quidem, sed, uti mihi videtur, minus apte; Fabricius enim hunc St. ratione staturae, cum St. *fulvipede*, *marginato* &c. comparavit.

Quamquam haec Al., proportione thoracis et coleoptrorum, a reliquis hujus familiae Aleocharis decedere videtur, habitu attamen toto eis affinis est.

4 *Al. lucida*, obscure rufa, nitida; capite, elytrorum angulo apicis exteriore, pectore, abdominisque apice nigricantibus; thorace, ad basin, foveolato.

Habitu Al. sequentis; statura autem crassiore.

Longitudo $1\frac{2}{3}$ — $2\frac{1}{4}$ lin.

Corpus crassum, teretiusculum, nitidum, subtilissime punctum.

Caput globosum, obscurum, nigricans, nitidum; oculis nigris; antennarum basi palpisque rufis; illis capitis thoracisque longitudine, articulis, tertio paulo longiore quam secundus, quarto suborbiculato, sequentibus transversis latitudine crescente, ultimo ovato.

Thorax capite major, orbiculatus, subglobosus; apice angustior, angulis deflexis; basi latus; foveola transversa, ante basis marginem, impressus; rufescens seu fuscus, basis margine pallidiore.

Coleoptra subplaniuscula, subquadrata, latitudine longitudinem paululum excedente, thorace longiora et latiora; rufa vel fuscescentia, angulis apicis exterioribus fuscis vel nigris.

Abdomen rufescens, segmentis penultimo et antepenultimo nigris.

Pedes testacei.

Al. lucida — Mus. Prof. *Knoch*.

5 *Al. prolixa*, nitida, infra rufescens, supra nigricans; antennis fuscis; elytris, ano, pedibusque rufis.

Habitu Al. praecedentis; statura autem paulo graciliore.

Longitudo $1\frac{3}{4}$ lin.

Caput nigrum; antennis palpisque fuscis.

Thorax obscure rufescens.

Coleoptra quadrata, rufa, basi nigricante.

Abdomen nigricans; ano rufo.

Pedes rufo-testacei.

Al. prolixa — Mus. Prof. *Knoch.*

6 *Al. collaris*, nitida, rufa; capite, pectore, elytris, vel elytrorum angulo apicis exteriore, anoque nigris; thorace, ad basin, foveolato.

Habitu omnino Al. *lucidae* (n. 4.) statura autem minore.

Caput nigrum; antennis fuscis, apice rufis, articulo ultimo paulo validiore quam in Aleocharis confinibus; palpis rufis.

Thorax, quibusdam speciminibus, longitudine paulo latior, subpubescens.

Coleoptra subtransversa, convexiuscula, subpubescentia, nigricantia, vel rufa angulis apicis exterioribus obscurioribus.

Abdomen rufum; apice nigrum; ano rufescente.

Habitat in boletis, tempore aestivo, haud frequens.

Staph. collaris Payk. Fn. Suec. St. n. 43.

= *Olivier* Ent. St. n. 54. pl. II. f. 13.

7 *Al. impressa*, nitida; thorace, punctis duobus majoribus, sulcisque tribus longitudinalibus abbreviatis, impresso, rufescente.

Longitudo 1 lin.

Corpus crassiusculum, nitidum.

Caput globosum, thorace paulo majus, nitidissimum, laevissimum, collo tenuissimo cum thorace cohaerens, nigrum seu obscure fuscum; palpis antennisque rufescentibus; his, basi pallidioribus, capitis thoracisque longitudine, articulis, secundo et tertio brevibus clavatis, quarto

suborbiculato, sequentibus transversis latitudine crescente, ultimo orbiculato acuto.

Thorax globosus, apice rotundatus angustior, basi truncatus latior, nitidissimus; rufescens, seu rufo-fuscus margine basis pallidiore; sulcis tribus, mediis, longitudinalibus, abbreviatis, una ad apicem, duabus ad basin, punctisque duobus magnis ad basin, impressus.

Coleoptra latitudine paulo longiora, convexa, thorace longiora et multo latiora, glaberrima, nitidissima, fusca, sulculis quatuor brevissimis longitudinalibus ad basin impressa.

Abdomen obtusum, nitidum, rufum, apice, segmentis tribus vel quatuor, nigrum.

Pedes graciles, rufo-testacei.

Habitat frequens in boletis et agaricis.

Staph. impressus Olivier Ent. St. n. 28. pl. V. f. 41.

8 *Al. rivularis*, thorace, punctis duobus majoribus, sulcisque tribus abbreviatis longitudinalibus, impresso; nigerrima, nitidissima, pedibus antennisque rufescentibus.

Habitu toto, partiumque proportione et sculptura, omnino Al. praecedentis; statura autem multo minore.

Longitudo $\frac{5}{6}$ lin.

Habitat in sylvis, in fimo bovino, rarior; sub cortice arboris demortuae semel tantummodo capta.

Al. rivularis — Mus. Prof. *Knoch.*

9 *Al. sulcata*, thorace, fovea media longitudinali impresso; fusca, pedibus rufis.

Habitu Al. praecedentium; thorace autem cordato, unisulcato.

Longitudo 1 — $1\frac{1}{3}$ lin.

Corpus glabrum, nitidum.

Caput globosum, thoracis magnitudine, fovea transversali inter antennas impressum, nigro-fuscum; palpis antennisque rufo-testaceis; his basi pallidioribus.

Thorax globosus, cordatus; apice rotundatus latus, basi subtruncatus angustus; coleoptris angustior et brevior; sulca media longitudinali, profunda, lata, impressus; nigricans, vel fuscescens, margine basis pallidiore; rarius colore fugaci griseo sericans.

Coleoptra longitudine vix latiora, convexiuscula, nitidissima, glaberrima, fusca vel rufo-fusca, basi foveolis duabus, saepius obsoletis, impressa.

Abdomen fuscum vel nigricans.

Habitat Brunsuigae.

Staph. sulcatus Olivier Ent. St. n. 27. pl. VI. f. 52.

– *Payk.* Mon. St. *et* Fn. Suec. St. n. 24.

10 *Al. obscura*, nitida, nigro-fusca, subsericans; antennis, elytris, pedibusque rufescentibus; thorace subunifoveolato.

Habitu Al. praecedentis; capite autem minore, thoracis fovea subtiliore, nitore sericante, differt.

Longitudo 1 lin.

Caput globosum, orbiculatum, thoracis magnitudine; occipite parlulum depresso; nigricans, palpis antennisque rufescentibus; his capite thoraceque sublongioribus.

Thorax globosus, nitidissimus, cordatus; sulca media longitudinali, saepius obsoletiore, impressus.

Coleoptra glabra, quadrata, rufescentia, basi foveolis duabus impressa.

Pedes testacei.

Habitat, primo vere, locis apricis, sub lapidibus, inter quisquilias.

Paederus obscurus — Mus. Prof. *Hellwig.*

11 *Al. picea*, nigra, nitidissima; pedibus, antennis, coleoptrorum margine apicis pallide fuscis; thorace, puncto ante basis marginem, impresso.

Habitu Al. praecedentis; statura autem multo minore, thorace haud sulcato.

Longitudo $\frac{3}{4}$ lin.

Corpus subtilissime punctum, nitidum.

Caput globosum, thorace vix majus, laevissimum, nigrum; palpis antennisque fuscis; his capite thoraceque paulo longioribus.

Thorax suborbiculatus, basin versus paululum angustior; puncto magno, interdum obsoletiore, ante basis marginem, impressus.

Pedes fusco - testacei.

Al. picea — Mus. Prof. *Knoch.*

12 *Al. nigra*, nigra, nitidissima; antennis pedibusque fuscis; thorace unisulcato.

Habitu omnino Al. praecedentis; thorace autem paulo rotundiore, sulca media longitudinali impresso.

Longitudo $\frac{3}{4}$ lin.

Al. nigra — Mus. Prof. *Knoch.*

13 *Al. corticalis*, nigra, nitida, laevis; coleoptrorum apice, pedibus, antennisque rufis.

Longitudo $1\frac{1}{5}$ lin.

Corpus gracile, subfiliforme, nitidum, subtilissime punctum.

Caput orbiculatum, thorace vix minus, nigrum; palpis, antennisque rufis; his capitis thoracisque longitudine, extrorsum paulo crassioribus, articulo primo paululum validiore quam in affinibus Aleocharis; caeterum ut in Al. praecedentibus.

Thorax suborbiculatus, apice subangustior, coleoptris paulo brevior et angustior.

Coleoptra quadrata, convexiuscula, basi nigra, apice rufa.

Abdomen obtusum, nigrum; ano pallidiore.

Pedes testaceo-fusci.

Habitat rarior sub cortice arborum demortuarum.

14 *Al. analis*, nigra, nitida; palpis, elytris, pedibus, anoque testaceis; thorace, puncto ante scutellum, impresso.

Habitu gracili et filiformi Al. praecedentis; differt autem statura minore nec non colore.

Longitudo 1 lin.

Caput thorace paulo minus, nigrum; basi antennarum palpisque testaceis.

Thorax transversus, rotundatus, coleoptrorum fere magnitudine.

Coleoptra subtransversa, piceo-vel fusco-testacea, basi nigricantia.

Abdomen coleoptris plus quadruplo longius, nigrum; ano testaceo.

Habitat? Brunsuiga.

15 *Al. Aethiops*, nigerrima, nitida, griseo-subsericea; plantis antennisque fuscis.

Habitu Al. corticalis; corpore autem graciliore, nitidiore; capite minore; pedibus tenuioribus &c.

Longitudo $1\frac{1}{5}$ lin.

Corpus gracile, nitidissimum.

Caput orbiculatum, thorace vix minus, nigrum; palpis antennisque fuscis; his articulo ultimo ovato.

Thorax suborbiculatus, coleoptris paulo brevior et angustior, niger, subgriseo-sericeus, foveola media, ad basin, impressus; subtilissime subpunctus.

Coleoptra quadrata, convexiuscula, subtilissime puncta, griseo-subsericantia.

Abdomen nigrum, nitidum, infra praesertim griseo-sericans.

Pedes tenues, longiores et graciliores quam in reliquis Aleoch.

Semel tantum capta in gramine prope Ildehausen, die XX Junii anno 1800.

Fam. II.

Caput orbiculatum, thoracis latitudine, vel paulo angustius.

Thorax coleoptrorum latitudine vel subangustior convexus.

Coleoptra quadrata, vel rectangula, thorace longiora.

16 *Al. inquinula*, picea; capite abdomineque nigris, nitidis; pedibus testaceis; antennis fuscis.

Longitudo vix ½ lin.

Caput orbiculatum, nitidulum, thoracis latitudine, nigrum; antennis fuscis, capitis thoracisque longitudine; articulis, primo validiore, secundo et tertio brevioribus, clavatis; sequentibus latitudine crescentibus; ultimo ovato acuto.

Thorax opacus, piceus; foveola media, ante marginem basis, impressus; transversus, rotundatus.

Coleoptra opaca, picea, quadrata.

Abdomen obtusum, depressiusculum.

Pedes testacei vel fuscescentes.

Variat colore obscuriore vel pallidiore.

Habitat in fimo bovino; rarior sub arborum demortuarum cortice.

17 *Al. pusilla*, nigra, nitidula; elytris, antennis pedibusque testaceis.

Habitu Al. sequentis; capite autem majore, antennis crassioribus, coleoptris longioribus — Ab Al. praecedente, statura graciliore, satis distincta est.

Longitudo ⅔ lin.

Corpus gracile, filiforme, nitidulum.

Caput thoracis magnitudine, nigrum, nitidulum; palpis, antennisque fuscescentibus; his, capitis thoracisque longitudine.

Thorax subtransversus; quibusdam obsolete longitudinaliter bi-sulcatus, lateribus rotundatus.

Coleoptra rectangula, thorace duplo fere longiora, depressiuscula, fusca vel piceo-testacea.

Abdomen obtusum, teretiusculum, nitidum, nigerrimum.

Pedes testacei vel fuscescentes.

Al. pusilla — Mus. Prof. *Knoch.*

18 *Al. elongatula*, filiformis, tenuis, opaca, nigricans; antennis, elytris, pedibusque pallidioribus.

Habitu gracili Al. praecedentis; statura autem et antennis longioribus, capite coleoptrisque minoribus.

Longitudo 1 — $1\frac{1}{3}$ lin.

Caput thorace paulo angustius, subnitidum, nigrum; palpis rufis; antennis fuscis, capite thoraceque duplo fere longioribus, extrorsum subcrassioribus, articulo ultimo ovato acuto.

Thorax orbiculatus, depressiusculus, nigro-fuscus.

Coleoptra quadrata, thorace paulo longiora, nitidula, subtilissime puncta, pallida; vel obscure fusca, vel picea, vel piceo-testacea.

Abdomen elongatum, obtusum, fusco-nigrum, marginibus segmentorum pallidioribus.

Pedes testacei.

Habitat Brunsuigae semel tantummodo capta in gramine prati uliginosi.

19 *Al. teres*, gracilis, nitidissima, nigerrima; elytris picescentibus; pedibus testaceis.

Habitu gracili Al. praecedentium; ab Al. *pusilla* (n. 17.), statura majore, coleoptris quadratis; ab Al. *elongatula* (n. 18.), nitore splendidiore, capite majore &c. differt.

Longitudo 1 lin.

Caput thoracis magnitudine; antennis, capitis thoracisque longitudine.

Thorax orbiculatus, coleoptris paulo angustior.

Coleoptra quadrata.

Abdomen gracillimum, coleoptris quadruplo longius, nitidissimum, nigerrimum.

Al. teres — Mus. Prof. *Knoch.*

20 *Al. longiuscula*, gracilis, nigra, nitidissima; pedibus fuscis; elytris nigro-fuscescentibus.

Habitu Al. praecedentis; statura autem majore, capite minore, abdomine breviore et latiore.

Longitudo $1\frac{1}{2}$ — $1\frac{2}{3}$ lin.

Caput, thorace paulo angustius, nigrum; antennis nigricantibus vel fuscescentibus, capitis thoracisque longitudine, vel paulo longioribus.

Thorax suborbiculatus, convexiusculus, coleoptris angustior.

Coleoptra quadrata, piceo-nigricantia vel fuscescentia.

Abdomen obtusum, coleoptris triplo longius, nitidissimum.

Al. longiuscula — Mus. Prof. *Knoch.*

21 *Al. boleti* nigricans, nitidula; antennis, elytris, pedibusque plerumque pallidioribus.

Habitu, Al. praecedentibus crassior.

Inter omnes hujus generis species haec sane maxime variat, ratione tum magnitudinis, tum formae, proportionis et coloris partium singularium. Longitudo antennarum,

forma thoracis, color elytrorum antennarum et pedum, inconstantissimi sunt.

I. *Al.* nigra nitidula; pedibus elytrisque testaceis; his, circa scutellum et angulo apicis exteriore, obscurioribus.

Var. 1, thorace orbiculato; antennis capite thoraceque longioribus, gracilibus; longitudine $1\frac{1}{4}$ — 2 lin.

V. a. antennis palpisque nigris.

V. b. palpis antennarumque basi testaceo - rufis.

Var. 2, thorace suborbiculato, longitudine vix latiore; antennis capitis thoracisque longitudine; longitudine $1\frac{1}{4}$ lin.

Var. 3, thorace transverso; antennis, capitis thoracisque longitudine; longitudine 1 — $1\frac{1}{4}$ lin.

V. a. antennis palpisque fuscis.

V. b. palpis, antennarumque basi rufo - testaceis.

Var. 4, thorace subtransverso; antennis capite thoraceque brevioribus; longitudine $1\frac{1}{4}$ — $1\frac{1}{2}$ lin. — rarior.

II. *Al.* nigra, nitidula; elytris fuscescentibus; pedibus pallidis; thorace transverso.

Var. 1, antennis, capite thoraceque longioribus, gracilibus; longitudine $\frac{3}{4}$ — $1\frac{1}{2}$ lin.

V. a. elytris fuscis; pedibus testaceis.

V. b. elytris pedibusque fuscis.

V. c. elytris fuscis, humero pallidiore.

V. d. elytris fuscis; circa scutellum et angulo apicis exteriore, nigricantibus.

Var. 2, antennis, capitis thoracisque longitudine; longitudine $\frac{2}{3}$ —1 $\frac{1}{3}$ lin.

V. a, b, c et *d* ut in *Var.* praecedente.

V. e; elytris nigricantibus; pedibus obscure fuscis.

Var. 3, antennis, capite thoraceque brevioribus; elytris fuscis; pedibus rufis; longitudine 1 lin. — rarissime occurrit.

Quamquam autem hae Aleocharae satis inter se discrepare videntur, nihilominus persuadeo mihi, omnes unius ejusdemque speciei varietates esse. Copiam satis magnam speciminum collegi, quibus transitus a varietate ad varietatem, a maximis ad minimas, a pallidis ad obscuras &c. satis clare ostenditur. Figura thoracis orbiculati sensim in figuram thoracis suborbiculati et transversi dilatatur; antennae longissimae graciles sensim in antennas brevissimas crassiores contrahuntur; elytra et pedes testacei plus plusque cum nigredine miscentur, et tandem prorsum nigricantes apparent —. Notatu autem dignissimum est, quod magnitudo corporis formae etiam thoracis et colori elytrorum pedumque respondeat, qui sensim cum illa mutantur: Individuis maximis sunt thorax orbiculatus, antennae longae, coleoptra pedes palpi et antennarum basis testacei; minoribus antennae breviores et palpi fuscescentes, coleoptra obscuriora, thorax suborbiculatus; minimis, thorax transversus, palpi antennae et pedes obscuriores, elytra nigricantia. Sunt autem, uti supra jam monui, specimina, quibus omnes hae varietates arcte nectuntur.

Quae autem omnibus communia sunt paucis proferam.

Corpus subnitidum, subtilissime punctum; statura minus gracili quam in praecedentibus hujus familiae Aleocharis.

Caput orbiculatum, thorace paulo angustius, nigrum; antennis plerumque pallidioribus.

Thorax coleoptris vix angustior, lateribus rotundatus, niger.

Coleoptra quadrata, thorace paulo longiora.

Abdomen obtusum, nigrum.

Victitant gregatim in boletis et agaricis, frequentes per totum annum. Aliae vero habitant etiam alibi, semper autem rariores et singulae, et forsan defectu tantum boletorum et agaricorum: — In succo putrido sub cortice quercus, var. I, 1. — In fimo ovino, var. II, 2, b; semel tantum capta. — In cadavere talpae, var. II, 2, a, specimina quaedam.

Staph. Boleti Linn. Fn. n. 859.

- *Schrank* Austr. n. 453.
- *De Geer* Mem. St. n. 13.
- *Scopoli* Carn. n. 305.
- *Staph. socialis Payk.* Fn. Suec. St. n. 51.
- *Olivier* Ent. St. n. 53. pl. III. f. 25.

Staph. Boleti Linn. et *Schrank* ad var. I; 1, b; 3, b. II; 1, a; 2, a referendi sunt. — *St. Boleti De Geer* et *Scopoli* ad var. II; 1, a; 2, a. — *St. socialis Payk.* et *Olivier* ad var. I; 1, b; 3, b.

Huc autem non referendus est *St. Boleti Payk.* (Mon. St. n. 44 *et* Fn. Suec. St. n. 62.), qui potius Tachinus esse videtur, cum cel. auctor eum, (Fn. Suec. n. 62.) inter *Staph. lunulatum* et *melanocephalum* ponat, qui ambo Tachini sunt. Dicit etiam „St. *Boleti* differt a St. *sociali* elytrorum convexitate."

22 *Al. aterrima*, nigra, nitidula; pedibus antennisque fuscescentibus; his dimidii corporis longitudine.

Habitu, Al. praecedentis varietati minori obscurae similis; statura autem crassiore, antennis multo longioribus.

Longitudo $\frac{3}{4}$ lin.

Al. aterrima Mus. Prof. *Knoch.*

23 *Al. tenuis*, nigra, nitidula; antennis fuscis; elytris rufis, humero nigro; pedibus pallidioribus; thorace quadrato.

Longitudo 1 lin.

Corpus filiforme, gracile, nitidulum.

Caput subquadratum, angulis obtusis; thoracis magnitudine, nigrum; antennis fuscis, basi palpisque pallidioribus; oculis parvis prosilientibus.

Thorax quadratus, angulis obtusis, convexiusculus, coleoptris angustior et paulo brevior, laevis, niger.

Coleoptra subquadrata, nitidula, planiuscula, laevia, rufa, humeris nigris.

Abdomen obtusum, coleoptris quadruplo longius.

Pedes testacei seu rufi.

Al. tenuis — Mus. Prof. *Hellwig.*

24 *Al. nigricollis*, rufo - fusca; elytris pedibusque pallidioribus; capite thoraceque scabriculis, nigris.

Longitudo 2 lin.

Corpus gracile, filiforme.

Caput orbiculatum, thorace angustius, opacum, scabrum seu confertissime punctum; punctis crassioribus; nigricans; palpis, antennisque rufescentibus; his dimidia totius corporis longitudine, extrorsum crassioribus.

Thorax suborbiculatus, convexus scaber, vel confertissime punctus; punctis crassis; coleoptris paulo angustior et brevior, opacus niger.

Coleoptra quadrata, convexa, confertissime puncta, nitidula.

Abdomen crassum, obtusum, coleoptris quadruplo longius, nitidissimum, fusco-rufum.

Pedes testacei.

Habitat — Mus. Prof. *Hellwig.*

Staph. nigricollis Payk. Fn. Suec. St. n. 42.

25 *Al. nigritula*, nitida, nigricans; elytris fuscescentibus; antennis pedibusque testaceis.

Habitu, Al. *Boleti* (n. 21.) gracilior; nitore etiam, capite majore, thorace angustiore &c.; ab illa differt.

Longitudo $\frac{4}{5}$ lin.

Caput orbiculatum, thorace vix angustius, nigrum; palpis antennisque testaceis seu dilucide ochraceis; his, capitis thoracisque longitudine, extrorsum valde crassioribus, articulis quarto ad decimum transversis, latitudine crescentibus, ultimo, illis longiore, ovato, obtusiusculo.

Thorax orbiculatus, coleoptris paulo angustior et brevior, niger.

Coleoptra quadrata, nitida, subtilissime puncta, castaneo-fusca; marginibus suturaque subobscurioribus.

Abdomen obtusum, nitidulum, coleoptris plus duplo longius.

Pedes ochracei.

Habitat in fimo, praesertim ovillo et hominum.

26 *Al. alternans*, nitidula, rufo-testacea; capite, thoracis disco, angulis coleoptrorum apicis exterioribus, segmentisque penultimis, obscurioribus.

Habitu gracili.

Longitudo 1 — 1⅓ lin.

Caput orbiculatum, thorace angustius, subtilissime subpunctum, nigro-fuscum; antennis ochraceis, capitis thoracisque longitudine; palpis testaceis.

Thorax suborbiculatus, apice vix paulo angustior, subtilissime punctus, fusco-testaceus; disco obscuro.

Scutellum obscurum.

Coleoptra quadrata, thorace longiora et paulo latiora, confertissime puncta, rufo-testacea; circa scutellum, sutura, et angulis apicis vel apice tota, fuscis vel nigris.

Abdomen obtusum, coleoptris duplo longius, rufum; segmentis penultimo et antepenultimo nigris, vel fuscis.

Pedes testacei.

Habitat gregatim in boletis, per totum annum frequens. Rarius capta in fimo humano; rarissime in cadavere avis.

Al. alternans — Mus. Prof. *Knoch*.

27 *Al. pygmaea*, nigricans, nitida; elytris testaceis, basi nigricantibus; pedibus testaceis.

Habitu Al. duarum sequentium. Differt autem ab Al. *obfuscata* nitore splendidiore, antennis longioribus, thorace paulo latiore; ab Al. *longicorni*, antennis gracilioribus, thorace paulo latiore, elytris minime nitidis, nec punctis.

Longitudo 1 lin.

Corpus breve, crassiusculum.

Caput thorace angustius, subretractum, nitidum, nigrum; antennis capite thoraceque longioribus, gracilibus, fuscis, basi pallidiore; articulis, mediis campanulatis, ultimo ovato obtuso.

Thorax transversus, rotundatus, coleoptris vix angustior, nitidus, rufo-nigricans.

Coleoptra quadrata, minus nitida, laevia, testacea; basi nigricante subsericea.

Abdomen nigricans, griseo-subsericeum; ano rufescente.

Al. pygmaea — Mus. Prof. *Knoch.*

28 *Al. obfuscata*, nigricans, subopaca; thorace elytrisque pallidioribus; antennis pedibusque rufescentibus.

Habitu Al. praecedentis; multis autem differt.

Longitudo $\frac{3}{4}$ — 1 lin.

Corpus breve, crassum, subtilissime punctum, nitidulum.

Caput, thorace angustius, nigrum; antennis fuscis; palpis pallidioribus; illis capitis thoracisque longitudine, extrorsum crassioribus.

Thorax rotundatus, subtransversus, apicem versus paulo angustatus, angulis anticis deflexis; convexior quam in Al. affinibus, obscure fuscus, marginibus lateralibus plerumque pallidioribus; coleoptrorum latitudine.

Coleoptra quadrata, pallidiora, seu fusco-picea.

Abdomen nigricans, subobtusum, coleoptris vix triplo longius.

Pedes testacei.

Habitat in fimo ovillo et humano, haud frequens.

29 *Al. longicornis*, nigra, nitida; elytris piceis; pedibus pallide testaceis; antennis longis.

Habitu Al. *pygmaeae* (n. 27.); corpore autem toto nitido, puncto, pilosello, satis distincta est — Ab Al. praecedente omnino differt.

Longitudo 1 lin.

Corpus breve, crassum, nitidum, punctum; punctis distinctioribus quam in Al. affinibus; pilosellum; pilis rigidis.

Caput thorace angustius, nigrum; antennis fuscis, capite thoraceque duplo fere longioribus.

Thorax rotundatus, subtransversus, apicem versus vix paululum angustatus, coleoptris subangustior, nitidulus, nigro - piceus.

Coleoptra quadrata, picea, circa scutellum obscuriora; nitida.

Abdomen breve, obtusum, nigro - fuscum, setosum.

Habitat in aridis, in fimo ovillo; semel tantummodo capta die XIX Junii, anno 1800.

30 *Al. cinnamomea*, nitida, cinnamomea; capite abdomineque obscurioribus.

Habitu Al. *Boleti* (n. 21.) Var. I, 3; thorace autem transverso, latiore et convexiore, colore &c. distincta.

Longitudo 1¼ — 2¼ lin.

Corpus nitidulum, subtilissime confertissimeque punctum.

Caput thorace angustius, retractum, nitidulum, nigricans seu nigro - fuscum, oculis nigerrimis majoribus; palpis rufis; antennis, capitis thoracisque longitudine, vel fuscescentibus basi pallidiore, vel rufis.

Thorax convexus, transversus, lateribus rotundatus, coleoptris vix angustior, sulca interdum media longitudinali obsoleta impressus, rufo - vel nigro - fuscescens.

Coleoptra subtransversa.

Abdomen obtusum, nitidum, nigro - fuscum.

Pedes pallidi.

Variat colore thoracis, elytrorum &c.

Var. 1, major; elytris thoraceque rufo-fuscis; pedibus, antennarumque primo articulo ochraceis.

Var. 2, minor; antennis ochraceis; coleoptris piceo-testaceis, angulis apicis nigricantibus ut in v. 1; pedibus testaceis.

Var. 3, minor; antennis ochraceis; coleoptris piceo-testaceis; pedibus, antennarumque articulo primo testaceis.

Habitat in succo putrido sub arborum cortice.

31 *Al. opaca*, nigricans, opaca, subgriseo-sericea; elytris, pedibusque pallidis.

Habitu quibusdam Al. familiae sequentis, e. g. *Al. fumatae* (n. 42.) similis; coleoptris autem quadratis.

Longitudo 2 — $2\frac{1}{2}$ lin.

Corpus crassum, subtilissime punctum; supra infraque, imprimis vero pectore et ventre, tomento tenui griseo-sericante tectum.

Caput thorace minus, retractum, nigro-fuscum; antennis basi pallidis, capitis thoracisque longitudine.

Thorax convexior quam in reliquis hujus familiae Aleocharis, apicem versus paululum angustatus.

Abdomen apicem versus subangustatum, nigricans; marginibus segmentorum pallidioribus.

Variat colore:

Var. 1, major; coleoptris fusco-testaceis, angulis inferioribus suturaque circa scutellum obscurioribus; pedibus testaceis.

Var. 2, minor; coleoptris obscure fuscis, apice rufescente; pedibus antennisque ochraceis.

Var. 3, minor; thorace, lateribus pallidioribus; caetera ut in var. 1.

Habitat Brunsuigae — Unicum specimen var. 1 captum in flore Echii vulgaris.

32 *Al. umbrata*, opaca, nigra, subsericans; elytris pallidioribus; pedibus testaceis.

Habitu omnino Al. praecedentis; statura autem multo minore semper distincta.

Longitudo 1 lin.

Variat elytris pallide fuscescentibus, seu nigricantibus apice pallide fuscescente.

Habitat Brunsuigae

33 *Al. humeralis*, nitidula, obscure fusca; pedibus, antennarum basi, elytrorumque humeris, ochraceis.

Longitudo 3 lin.

Caput thorace angustius, nigricans; antennis fuscis, articulo primo palpisque ochraceis.

Thorax subrotundatus, subtransversus, coleoptris paulo angustior, planiusculus, nigricans; foveis quatuor obsoletis, una scilicet longitudinali media, altera minima media ad basin, tertia et quarta lateralibus, impressus.

Coleoptra quadrata, depressiuscula, nigricantia, macula elytrorum humerali ochracea.

Abdomen coleoptris plus duplo longius, obtusum, fuscum, apice nigricante.

Al. humeralis — Mus. Prof. *Knoch.*

Fam. III.

Caput parvum, orbiculatum, retractum, thorace multo minus.

Thorax transversus, coleoptrorum longitudine et latitudine, convexus, apice plerumque angustior.

Coleoptra transversa.

34 *Al. ruficornis*, nitida, fusca; antennis, thoracis lateribus, coleoptris, pedibusque rufo-testaceis.

Longitudo 2⅔ lin.

Corpus totum, imprimis capite thorace coleoptrisque, pilis brevibus fulvo-subsericeis tectum; subtilissime punctum; minus coactum et convexum quam in speciebus sequentibus.

Caput atrum; antennis, capitis thoracisque longitudine, extrorsum crassioribus, palpisque ochraceis.

Thorax subrotundatus, convexiusculus.

Abdomen nigro-fuscum, segmentorum marginibus pallidioribus, obtusum, coleoptris triplo longius.

Pedes testacei.

Habitat in agaricis, rarissima, semel modo capta.

35 *Al. strumosa* rufo-fusca; thorace, marginibus elevatis.

Habitu omnino Aleocharae hujus familiae; statura autem corporis et figura thoracis a cospeciebus valde discedens.

Longitudo 3 — 4 lin.

Corpus crassum; coactum, latum, nitidulum.

Caput parvum, supra impressum, thorace multo angustius, subtilissime punctum, subopacum, fuscum; oculis nigris; antennis, capite thoraceque longioribus, filiformi-

bus, moniliformibus; articulis, primo crassissimo, secundo brevissimo, sequentibus globosis aequalibus, ultimo ovato acuto.

Thorax nitidus, punctus, fuscus; angulis apicis rotundatis, basis acutis; marginatus; marginibus apicis et basis subelevatis angustioribus, laterum adscendentibus latioribus; supra scutellum productus; disco convexiusculo, sulca media longitudinali obsoleta, impresso.

Coleoptra subgibbosa, thorace vix paulo longiora et latiora, nitidissima, impuncta, rufescentia, angulis acutis.

Abdomen crassum, latum, coleoptris triplo longius; segmento penultimo sinuato; marginibus lateralibus elevatis; nitidum, fuscum.

Pedes pallidi, validi; tibiis autem laevissimis, tarsis tenuissimis.

Habitat Blankenburgo.

Al. strumosa — Mus. Prof. *Hellwig*.

Staph. strumosus Fabr. Ent. Syst. St. n. 28.

- *emarginatus* Payk. Mon. St. n. 56.

- *Payk.* Fn. Suec. St. n. 44.

Species huc non referenda *St. Strumosus Payk.* (Fn. Suec. St. n. 45.) „thorace antrorsum emarginato, longitudine vix „latiore“ esse videtur — *St. emarginatus Olivier* (Ent. St. n. 44 pl. II. f. 12.) hae multo minor et idem est, quem *Fabricius* (Ent. Syst. St. n. 46.) sub hoc nomine descripsit.

36 *Al. fuscipes*, nigra, nitidula; disco elytrorum rufo-sanguineo; pedibus fuscis.

Habitu Al. sequentis; statura autem majore, thorace minus convexo.

Longitudo $2\frac{1}{2}$ — $3\frac{1}{4}$ lin.

Corpus coactum, crassum, confertissime subtiliterque punctum, tomento tenui brevi griseo-sericante tectum.

Caput atrum, palpis fuscis; antennis brevibus, validis, extrorsum multo crassioribus, capite longioribus; articulis, primo valido clavato, tertio et secundo brevioribus gracilioribus clavatis, quarto orbiculato, sequentibus transversis latitudine crescente, ultimo, mediis longiore, obpyriformi.

Thorax transversus, convexus, apice angustior, angulis anticis deflexis, basis margine medio paululum producto.

Coleoptra vix longitudine thoracis.

Abdomen obtusum, crassum, coleoptris triplo longius.

Habitat in cadaveribus, boletis, et fimo humano, haud rara.

Staph. fuscipes Payk. Mon. St. n. 38.
- *Payk.* Fn. Succ. St. n. 39.
- *Rossi* Fn. Etr. n. 619?

Huc, uti credo, *St. fuscipes Fabr.* (Ent. Syst. St. n. 38.) non referendus est, cum sit „parvus, clytris pedibusque „piceis" — Nec *St. fuscipes Linn.* cui sunt „thorax, ca„put et maxillae ratione magnitudinis insignes; magnitudo pediculi" &c. — St. *fuscipes Panzeri* (Fn. Germ. H. 27. t. 12.) longe est diversa species, ad *Tachinum* quemdam referenda.

37 *Al. bipunctata*, nigra, nitidula; pedibus ochraceis; elytris macula apicis rufo-sanguinea; thorace gibboso.

Habitu Al. praecedentis et sequentis; differt autem statura crassiore, thorace convexiore, coleoptris minus nitidis crassius punctis.

Longitudo $1\frac{1}{2}$ — $2\frac{1}{3}$ lin.

Corpus crassum, confertim punctum, pilis brevissimis, supra rarioribus, infra crebrioribus, griseo - sericantibus, tectum; nitidum.

Caput antennis ut in Al. praec.

Thorax, marginibus rotundatis, apicem versus angustior, lateribus deflexus, antice posticeque declinatus, nitidus, nigricans.

Coleoptra vix thoracis longitudine, brevissima; elytris quadratis, subnitidis, punctis crassioribus impressis; nigris, apice rufo - sanguinea; vel rufo - sanguineis, sutura marginibusque basis et laterali nigris.

Abdomen vel obtusum vel apicem versus paulo angustatum.

Pedes rufo - fusci vel rufo - testacei.

Habitat in fimo bovino, equino, ovillo, humano &c. haud infrequens.

Staph. bipunctatus Oliv. Ent. St. n. 43. pl. V. f. 44.

38 *Al. lanuginosa*, nigra, nitida; summo coleoptrorum apicis margine pedibusque fuscescentibus; lanugine mollissima tenuissima tecta.

Habitu toto Al. praecedentium; differt autem ab Al. *fuscipede*, statura minore; thorace convexiore; ab Al. *bipunctata* thorace minus convexo, lateribus quidem deflexo, postice vero haud declinato; statura minus coacta; ab omnibus autem Aleocharis, lanugine, seu pilis tenuibus erectis, nudo oculo vix conspicuis, quibus totum corpus obsitum est.

Longitudo $1\frac{1}{2}$ — 2 lin.

Habitat in fimo equino et bovino, tempore vernali; haud frequenter occurrit.

39 *Al. laevis*, nigra, nitida, griseo - sericans; antennis pedibusque fuscis.

Habitu Al. *ruficornis* (n. 34.).

Longitudo $2\frac{1}{2}$ lin.

Caput thorace duplo minus, nigrum, palpis antennisque fuscis; his capite thoraceque paulo longioribus, caeterum ut in Al. praeced.

Thorax coleoptris paulo angustior, puncto majore ante scutellum impressus.

Abdomen nigricans, segmentorum marginibus rufescentibus; tomento rufo - griseo - sericante, ventre imprimis, tectum.

Al. laevis — Mus. Prof. *Knoch.*

40 *Al. lugens*, nigra, nitidula; elytris fuscescentibus; pedibus, palpis, antennarumque basi, fusco - ochraceis.

Habitu Al. praecedentis; statura autem paululum crassiore, minore.

Longitudo $1\frac{1}{2}$ lin.

Corpus subsericeo - nitens.

Thorax coleoptrorum latitudine.

Coleoptra thoracis longitudine, convexiuscula, nitida, laevissima, omnino impuncta, obscure fusca.

Abdomen obtusum, coleoptris plus triplo longius, nitidissimum, nigrum, sericeo - nitens.

Habitat — Mus. Prof. *Hellwig.*

41 *Al. moesta*, nigra, nitida; antennis, pedibus, elytrisque fuscis vel obscure ochraceis.

Habitu omnino Al. sequentis; thorace autem angustiore et minus convexo; elytris crassius punctis.

Longitudo $1\frac{1}{2}$ — $2\frac{1}{3}$ lin.

Habitat — Mus. Prof. *Hellwig.*

42 *Al. fumata*, nigra, subnitida; abdomine nigro-fusco; antennis, elytris, pedibusque pallidioribus.

Habitu Al. *lanuginosae* (n. 38.); thorace autem minus declinato, corpore minus nitido, elytris fuscis, lanae defectu &c. satis distincta est.

Longitudo $1\frac{1}{2}$ — 2 lin.

Corpus crassum, nitidulum, subtilissime punctum; pilis brevibus griseo-subsericantibus, praecipue infra, tectum.

Variat colore elytrorum et antennarum:

Var. 1, major; elytris, antennarumque articulo primo pallide fuscis.

Var. 2, minor; elytris antennisque totis obscure fuscis.

Habitat in boletis, haud frequens.

43 *Al. pulla*, subnitida, fusco-nigricans; elytris pallidioribus, pedibus testaceis.

Habitu Al. praecedentis; statura autem minore, abdomine graciliore, nitore caeciore, thorace paulo angustiore &c. differt.

Longitudo $1\frac{1}{3}$ lin.

Corpus subgriseo-sericans.

Caput thorace quadruplo minus, nigricans, opacum; antennis capitis thoracisque longitudine.

Thorax opacus, nigricans vel fuscescens, marginibus lateralibus interdum pallidioribus.

Coleoptra subtransversa, fusca, opaca, subtilissime puncta.

Pedes ochracei.

Al. pulla — Mus. Prof. *Knoch.*

44 *Al. nitida*, nigerrima, nitidissima; elytris, macula apicali rufa; pedibus fuscescentibus.

Habitu Al. *fuscipedis* (n. 36.) et similium; nitore autem splendidissimo, colore aterrimo, punctis crassioribus paucioribus distincta.

Longitudo 1 — $1\frac{3}{4}$ lin.

Corpus crassum, punctum, nitidissimum, interdum pilis brevibus tenuibus griseis sparsim tectum.

Elytra, macula, anguli apicis interioris, majore vel minore, orbiculari, circuitu distincto vel evanescente, rufa, rarius rufo-testacea, suturam attamen haud attingente.

Pedes obscure fusci seu ochracei.

Habitat in aridis, in fimo ovillo, haud frequens.

Al. nitida — Mus. Prof. *Knoch*

45 *Al. morion*, nigra, opaca; pedibus antennisque nigro-fuscis.

Habitu crasso, gibboso, omnino Al *bipunctatae* (n. 37.); thorace etiam lateribus deflexo, antice posticeque declinato; differt autem statura multo minore, colore nigerrimo opaco — Colore toto nigro opaco ab omnibus Aleocharis distincta est.

Longitudo 1 lin.

Corpus crassum, opacum, pilis perpaucis sericantibus, interdum plane nullis, sparsim tectum, confertim punctum.

Antennae obscure fuscae seu nigrae.

Habitat in fimo bovino, haud frequens; in fimo humano semel tantummodo capta, die XXV. Maji, anno 1800.

46 *Al. pumilio*, nigra, opaca; elytris antennisque nigro-fuscis; pedibus testaceis.

Habitu et punctura omnino Al. praecedentis; statura autem duplo minore; coleoptris, apice, ad suturam, profundius sinuatis.

Longitudo $\frac{1}{2}$ lin.

Habitat in aridis, in fimo ovillo, rarissima; semel tantummodo capta, die XXIX Junii, anno 1800.

Fam. IV.

Corpus nitidum, depressiusculum, breve.

Caput transversum; oculis prominulis; antennis extrorsum valde crassioribus; articulis, primo validiore, secundo et tertio brevioribus gracilioribus, clavatis, quarto suborbiculato, sequentibus transversis, latitudine crescente, ultimo ovato acuto.

Thorax transversus, latus; longitudine duplo fere latior; lateribus rotundatis; convexiusculus.

Coleoptra transversa, thorace latiora et duplo fere longiora, laevia.

Abdomen obtusum.

47 *Al. nana*, nitida, testacea; thorace, angulis coleoptrorum apicis, segmentis penultimis, obscurioribus; capite nigro.

Longitudo $\frac{3}{4}$ — 1 lin.

Caput thoracis fere latitudine; antennis, capite thoraceque longioribus; nigrum, antennis palpisque testaceis.

Thorax punctis aliquot, duobus ante basin distinctioribus, impressus; nigricans seu fuscus, marginibus pallidioribus.

Speciminibus majoribus sunt thorax, anguli apicis coleoptrorum, segmenta penultimum et antepenultimum, nigri; minoribus fusci.

Habitat gregatim in boletis et agaricis.

Staph. nanus Payk. Fn. Suec. St. n. 52.

Staph. melanurus Schrank in *Füessly* N. M. II. p. 324.

48 *Al. polita*, nigra, nitida; antennis pedibusque testaceis.

Habitu Al. praecedenti simillima; statura autem minore; capite angustiore.

Longitudo $\frac{3}{4}$ lin.

Habitat cum Al. praecedente, multo autem rarior.

Fam. V.

Corpus planiusculum, nitidum, laeve, subpunctum.

Caput orbiculatum, thorace paulo angustius; antennis extrorsum crassioribus; articulis, primo validiore longiore, secundo et tertio brevioribus gracilioribus, clavatis, quarto et quinto suborbiculatis, sequentibus transversis, latitudine crescente, ultimo ovato acutiusculo.

Thorax transversus, coleoptris brevior et paulo angustior, disco plano.

Coleoptra quadrata.

49 *Al. depressa*, nitidula, pallide fusca; capite abdomineque obscurioribus.

Longitudo $1\frac{1}{3}$ — $2\frac{1}{4}$ lin.

Caput suborbiculatum, nigrum; antennis, capitis thoracisque longitudine, fuscis; ore, antennarumque articulo primo testaceis.

Thorax, lateribus rotundatis, rufescens, maculis interdum duabus magnis obscurioribus.

Elytra rufo-testacea; marginibus, imprimis circa scutellum, subobscurioribus.

Abdomen obtusum, coleoptris plus duplo longius, fuscum; ano pallido.

Pedes testacei.

Al. depressa — Mus. Prof. *Knoch.*

50 *Al. deplanata*, nitida, fusca; pedibus testaceis.

Longitudo 1 lin.

Caput planum, thorace vix angustius, nigrum; antennis fuscis, capitis thoracisque longitudine.

Thorax basin versus angustatus, coleoptris vix angustior, nigro-fuscus, medio longitudinaliter subcanaliculatus.

Coleoptra thorace duplo fere longiora, depressiuscula, obscure picea.

Abdomen obtusum, coleoptris duplo longius, nigro-fuscum.

Habitat in aridis, in fimo ovillo; rarissima; semel tantum capta.

Genus VI.

Oxytelus.

Palpi acuminati.

Thorax brevis, sculptus.

Tibiae validae, spinosae.

Corpus elongatum, plurimis depressiusculum; nudum, depile.

Caput suborbiculato-angulosum, rugosum; oculis prosilientibus. *Antennis* extrorsum crassioribus; articulis, primo maximo, valido, secundo parvo, gracili, sequentibus latitudine crescentibus, ultimo ovato acuto. *Palpis* anterioribus quadriarticulatis.

Thorax coleoptris paulo angustior, punctis sulcisve impressus; ora laterali infra deflexa.

Coleoptra subquadrata, thorace longiora.

Abdomen obtusum, marginatum.

Pedes validi. Capitibus femorum approximatis; anticis femore brevioribus, ejus autem crassitie; mediis femore duplo brevioribus, vixque ejus crassitie; posticis brevissimis, absconditis. Tibiis validis, subincurvatis, spi-

nosis. Tarsis; articulo ultimo, sive ungula, longo, clavato, articulis reliquis brevibus, subtransversis.

1 *O. fuliginosus*, niger, nitidus; pedibus testaceis; thorace laeviusculo.

Longitudo 1 lin.

Corpus gracile, filiforme.

Caput orbiculatum, thorace paulo minus; antennis vix capitis thoracisque longitudine.

Thorax transversus, convexiusculus, apice latior, basin versus angustatus, nitidus, coleoptris vix angustior, laevis; scrobibus duobus, haud profundis, lateralibus, oculo bene armato conspicuis, impresso.

Coleoptra latitudine paulo longiora, subtilissime puncta, linea longitudinali elytrorum prope suturam impressa, subnitida, cinerascentia.

Pedes testacei; tibiis validis, vix autem spinosis.

Haec species, uti e descriptione apparet, inter Aleocharas et Oxytelos medium tenet; tibiis attamen validis, thorace transverso, basin versus angustiore, subfoveolato, potius ad hoc genus spectare videtur.

Al. fuliginosa — Mus. Prof. *Knoch*.

2 *O. pedicellus*, niger, nitidulus; elytris, pedibus, abdominisque basi pallidis; thorace rugoso.

Longitudo $\frac{1}{4}$ — $\frac{1}{3}$ lin.

Corpus crassiusculum, filiforme.

Caput thoracis latitudine, nigrum; antennis fuscis, capite longioribus.

Thorax transversus, coleoptris vix angustior, longitudine duplo latior; lineis tribus longitudinalibus, marginibusque omnibus elevatis.

Coleoptra atro-picea, subnitida.

Abdomen obtusum, coleoptris vix duplo longius, nitidum, nigrum, basi fusco-testaceum.

Pedes fusco-testacei.

Habitat in fimis, haud rarus.

tetracarinatus Block.

3 *O. depressus*, niger, opacus; antennis fuscis; pedibus fusco-testaceis; thorace, lineis quatuor elevatis.

Longitudo $\frac{2}{3}$ — 1 lin.

Corpus depressum, filiforme, opacum.

Caput subtransversum; vel paulo majus quam thorax, quadratum, angulis obtusis; vel thorace paulo minus, suborbiculatum; nigrum; antennis fuscis.

Thorax transversus, planus, longitudinaliter quadrilineatus; lineis elevatis rectis; coleoptris vix angustior.

Coleoptra plana.

Abdomen obtusum, coleoptris longius.

Pedes testacei, femoribus fuscis.

Victitat gregatim in excrementis. Lectus vero etiam, satis copiose, in floribus Echii vulgaris, die XVI. Julii anno 1800; nec non in gramine et in terra uliginosa.

Staph. depressus Olivier Ent. St. n. 51 pl. III. f. 26.

St. piceus Schrank Boica n. 885.

Haploderus

4 *O. caelatus*, nigricans, nitidulus; antennis, elytris, pedibusque pallidioribus; thorace quadrifoveolato, foveis duabus mediis arcuatis.

Longitudo $1\frac{1}{6}$ — 2 lin.

Corpus vix depressiusculum, nitidulum, punctum.

Caput vel thorace majus, mandibulis validioribus; vel thorace minus, mandibulis gracilioribus; nigrum; ore, antennisque fuscis; his, capite thoraceque longioribus; articulis quarto ad septimum suborbiculatis crescentibus, octavo ad decimum transversis, ultimo suborbiculato acuto.

Thorax convexiusculus, coleoptris paulo angustior, basin versus angustatus, longitudinaliter quadri-foveolatus; foveis duabus mediis profundioribus arcuatis, concavitate extrorsum versa; lateralibus obsoletioribus; foveis omnibus punctis.

Coleoptra confertim puncta, thorace duplo fere longiora.

Abdomen obtusum, coleoptris duplo longius.

Color variabilis est:

Var. 1 *O.* niger seu obscure fuscus; pedibus, ore, antennarum basi, ochraceis.

Var. 2 *O.* niger; antennis fuscis; ore rufo; elytris piceo-testaceis; pedibus ochraceis.

Var. 3 *O.* niger; ore, antennarumque basi ochraceis; coleoptris pedibusque testaceis.

Var. 4, minima; *O.* fuscus; abdomine nigro; pedibus testaceis.

Habitat frequentissime in stercore bovino, per totum annum. Captus vero etiam in succo putrido, sub cortice quercus, die VIII Junii, et in terra uliginosa, die XVI Julii, anno 1800. — Varietatem 4 semel tantummodo, cum speciminibus quibusdam var. 2, in terra uliginosa cepi; licet autem, statura graciliore et minore, nec non colore, a varietatibus praecedentibus, discrepet, in essentia-

libus tamen cum illis congruit, et ego non ausus sum, hanc pro specie peculiari habere, cum specimen tantum unicum hujus varietatis possideam — Varietatem simillimam, statura autem adhuc graciliore, longitudine modo $\frac{4}{5}$ lin., vidi in collectione Prof. *Knoch*.

Al. caelata — Mus. Prof. *Knoch*.

5 O. *piceus*, niger nitidus; thorace quinque-foveolato; fovea media recta; elytris pedibusque testaceis.

Habitu Ox. praecedentis; statura autem latiore et minus convexa; thorace quinque-foveolato &c.

Longitudo $1\frac{1}{2}$ — 2 lin.

Corpus nitidum, planiusculum, latiusculum, punctum.

Caput rugosum, punctis quibusdam impressum; vel thorace majus, mandibulis exsertis, longis, denticulatis; vel thorace minus, mandibulis minoribus; antennis capite longioribus, caeterum ut in sp. praecedente.

Thorax subtransversus, lateribus rotundatis, medio latior; angulis obtusis; quinque foveolatus, foveis tribus disci profundioribus, lateralibus obsoletioribus; media recta; duabus, mediae adjacentibus, subobliquis vel subarcuatis, concavitate extrorsum versa, lateralibus latis obsoletis; in interstitiis fovearum, thoracisque marginibus subelevatis. Hae foveae, interstitiis quatuor elevatis linearibus, sejunguntur, unde thorax etiam „quadrilineatus" nominari potest.

Elytra planiuscula, ante humerum depressa; linea longitudinali prope suturam, punctisque cicatriculosis confertis, impressa.

Abdomen obtusum, coleoptris plus duplo longius.

Victitat in fimo bovino, equino, ovillo, suillo, per totum annum; rarius in stercore humano; primo vere etiam locis apricis, in quisquiliis, sub lapidibus.

Staph. piceus Fabr. Ent. Syst. St. n. 55.

- *Payk.* Mon. St. n. 12. α.
- *Payk.* Fn. Suec. St. n. 22. α.
- *Panzer* Fn. Germ. H. 27. t. 14.
- *Olivier* Ent. St. n. 23. pl. III. f. 30.
- *Schrank* Austr. n. 449.
- *Rossi* Fn. Etr. n. 622?
- *Müller* Zool. Dan. Pr. n. 1094 p. 97.
- *rugosus Schrank* Boica n. 886.

- *piceus Rossii* huc pertinere videtur, quamquam ei sunt „magnitudo pediculi, elytra laevissima" et quamquam „in ligno putrido habitat."

6 O. *carinatus*, niger, nitidulus; elytris fuscescentibus; pedibus pallidioribus; thorace quinquefoveolato.

Habitu O. picei; thorace autem angulis anticis acutioribus, elytris nunquam testaceis.

Longitudo 1 — $2\frac{1}{3}$ lin.

Variat capite majore et minore, colore elytrorum antennarum et pedum &c.

Var. I. O. thorace convexiusculo nitido:

1. niger; ore, antennis, pedibusque rufis; elytris nigro-subrufescentibus; longitudine $2\frac{1}{3}$ lin.

2. niger; ore, antennis, elytrisque fuscescentibus; pedibus rufis; longitudine $2\frac{1}{3}$ lin.

3. niger; antennis pedibusque fuscis; longitudine $1\frac{1}{3}$ — 2 lin.

4. niger; elytris obscure fuscis; pedibus rufo-testaceis, femoribus fuscis; longitudine $1\frac{1}{3}$ lin.

Var. II. O. thorace planiusculo opaco.

1. niger; elytris obscure fuscis, pedibus testaceis, femoribus obscurioribus; longitudine $1\frac{1}{3}$ — $1\frac{3}{4}$ lin.

2. niger; elytris pedibusque fusco-piceis; longitudine $1\frac{1}{3}$ lin.

3. niger; elytris obscure fuscis; pedibus testaceis; longitudine 1 — $1\frac{1}{4}$ lin.

Omnes hae varietates sensim una in alteram transeunt sicque unam speciem sistunt.

Habitat cum O. praecedente, frequentior attamen.

Staph. carinatus Panzer Fn. Germ. H. 57. t. 24.

— *sulcatus Fourcroy* Ent. Par. St. n. 16.

Geoffr. Hist. St. n. 16.

7 *O. pulcher*, niger, nitidus; antennis, ore, elytris, pedibusque rufis; thorace quinquefoveolato.

Habitu O. praecedentis; statura autem graciliore; thorace longitudine vix paulo latiore.

Longitudo 2 — $2\frac{1}{4}$ lin.

Antennae elytris paulo obscuriores.

Thorax vel subnigro-rufescens, vel obscure sanguineus.

Coleoptra dilute rufa, basi nigricantia.

Habitat cum O. *piceo* et *carinato* sub lapidibus in horto aulico, Brunsuigae, tempore verno; multo attamen rarior.

8 *O. nitidulus*, niger, nitidus; elytris picescentibus; pedibus pallidioribus; thorace quinquefoveolato.

Habitu inter varietates minimas O. *carinati* et O. *depressum* medium tenet; ab illis autem, statura semper multo minore, ab hoc, nitore splendidiore et capite rugis profundioribus impresso, satis differt.

Longitudo $\frac{4}{5}$ lin.

Thorax, sulcis seu foveis tribus mediis parallelis.

Habitat in fimo, cum O. *piceo* et *carinato*, rarior autem.

An varietas minuta O. *carinati*?

arenarius Geoffr.

9 O. *morsitans*, nitidus; thorace, sulca media longitudinali, impresso.

Habitu O. praecedentis; statura autem breviore, crassiore, paulo convexiore; thorace unisulcato &c.

Corpus crassiusculum, breve, subdepressiusculum, nitidum.

Caput ut in specie praecedente, nitidum, magnitudine etiam variabili.

Thorax transversus, coleoptrorum latitudine; apice, truncatus, latissimus; lateribus et basi rotundatus; convexiusculus, nitidus; subtiliter, nec confertissime, punctus; punctis minorum speciminum cicatriculosis, minimorum crassioribus; sulca media longitudinali exaratus.

Coleoptra subtransversa, thorace paulo longiora, planiuscula, nitida, puncta, pallidiora.

Abdomen obtusum.

Color et magnitudo variant:

Var. 1 O. totus niger; longitudine $1\frac{1}{4}$ lin.

Var. 2 O. niger; pedibus, elytrorumque disco testaceis; longitudine 1 — $1\frac{2}{3}$ lin.

Var. 3 *O.* niger; elytris pedibusque fuscescentibus; longitudine 1 — $1\frac{3}{5}$ lin.

Habitat frequenter in stercore ovillo, bovino, humano; in terra etiam uliginosa.

Staph. morsitans Payk. Fn. Suec. St. n. 21.

- *trilobus Gyllenhal* Ent. St. n. 22. pl. V. f. 48.

- *pallidipennis* Panzer Fn. G. H. 27. t. 16.

Ad var. 2 solus *St. pallidipennis Pz.* referendus est; reliqui Staphylini, a me citati, ad var. 3.

10 *O. cornutus*, nitidus; capite bispino; thorace unisulcato.

Habitu omnino O. praecedentis; capite autem, thoracis magnitudine, bispinoso; spinis, inter antennas sedentibus, porrectis, acutis.

Longitudo $1\frac{1}{2}$ lin.

Corpus nigrum; elytris tarsisque fuscescentibus.

Aleoch. cornuta — Mus. Prof. *Knoch.*

Bledius

11 *O. tricornis*, thorace quadrato, convexo, scabro, unisulcato — maris cornuto; feminae mutico.

Longitudo $1\frac{1}{2}$ — 3 lin.

Corpus subnitidum, punctum, longius et teretius quam in cospeciebus hujus generis.

Caput angulosum, thorace paulo angustius, punctum, opacum, nigrum; antennis et ore fuscis; feminae muticum, maris bicornutum; cornubus seu spinis validis, porrectis, ante oculos sedentibus; antennis capite thoraceque vix brevioribus, articulis, primo longissimo crasso, secundo breviore, tertio tenuissimo, clavatis, quarto ad septimum or-

biculatis crescentibus, octavo ad decimum transversis, ultimo ovato acuto.

Thorax subquadratus, augulis basis obtusis, convexus, coleoptrorum latitudine vel paulo angustior, niger, opacus, punctus; punctis confertis crassis cicatricosis; sulca media longitudinali impressus; feminae muticus, maris unicornutus; cornu, apicis thoracis medio insidente, porrecto, longitudine capitis.

Coleoptra subquadrata, convexiuscula, subnitida, confertissime puncta; vel tota rufo-fusca; vel sutura, imprimis circa scutellum, nigra.

Abdomen teretiusculum, obtusum, nitidum, coleoptris plus duplo longius, nigrum, apice fuscescente.

Pedes testacei, interdum femoribus obscurioribus.

Habitat Brunsuigae; — mas autem rarior.

Staph. tricornis Payk. Fn. Suec. St. n. 38.

- *Olivier* Ent. St. n. 41. pl. VI. f. 56.

- *armatus Panzer* Fn. G. H. 66. t 17 (mas.).

Genus VII.

Omalium.

Palpi filiformes.

Thorax marginibus lateralibus elevatis.

Antennae extrorsum crassiores.

Corpus elongatum, depressiusculum, punctum.

Caput rugosum, angulosum, thorace minus. *Oculi* prosilientes. *Palpi* filiformes; anteriores quadriarticulati, posteriores triarticulati. *Antennae* extrorsum crassiores; articulis, primo longiore validiore, secundo minore, tertio paulo longiore, quam secundus, clavatis; sequentibus crescentibus; ultimo acuto.

Thorax transversus, marginatus, coleoptris paulo angustior, antice posticeque truncatus; ora laterali deflexa, glaberrima, basi lata.

Coleoptra rectangula, thorace longiora; elytris, angulis apicis interioribus acutis.

Abdomen obtusum, planiusculum, latiusculum, breve.

Pedes; capitibus femorum approximatis, anticis, femore brevioribus, ejus autem crassitie, posterioribus brevissimis, absconditis; tibiis gracilibus ciliatis; tarsis tenuibus.

Familia I. Coleoptris, thorace paulo longioribus.

Familia II. Coleoptris thorace duplo et plus duplo longioribus.

Fam. I.

1 *O. planum*, nitidum, deplanatum, nigricans; elytris, antennis, pedibusque pallidis; thorace subfoveolato.

Longitudo $1\frac{1}{6}$ lin.

Corpus nitidum, subtilissime punctum, deplanatum; planius quam in reliquis cospeciebus.

Caput triangulare, thoracis fere latitudine, nigrum; ore antennisque rufis; his, capitis thoracisque longitudine, basi pallidiore.

Thorax coleoptris paulo angustior; disco plano, foveis tribus sublaevibus, saepius obsoletis, impresso; niger, vel obscure fuscus, marginibus pallidioribus, lateralibus rotundatis.

Coleoptra confertim puncta, picea, elytris trilineatis; lineis elevatis, longitudinalibus, laevibus nitidissimis, saepius obsoletis.

Abdomen nigro-fuscum.

Pedes ochracei, tibiis subciliatis.

Habitat? — Quaedam specimina volatu cepi.

Staph. planus Payk. Fn. Suec. St. n. 48.

2 *O. depressum*, nitidulum, rufescens; capite, thorace, abdomineque obscurioribus; thorace laevi, convexiusculo.

Longitudo $1\frac{1}{3}$ — $1\frac{1}{2}$ lin.

Corpus nitidulum, subtilissime punctum.

Caput subtransversum, thorace paulo angustius, nigrofuscum; ore antennisque rufis; his capitis thoracisque longitudine.

Thorax coleoptris paulo angustior, nigro-fuscus, convexus; marginibus lateralibus et basis rufis; illis subelevatis, basin versus latioribus.

Abdomen fuscum; apice obscuriore.

Pectus nigro fuscum.

Pedes testacei.

Victitat? — Copiam speciminum domi ad fenestras legi, diebus vernalibus et autumnalibus anno 1800.

Phyllodrepa ...

3 *O. brunneum*, nitidum, rufescens; capite, elytrorum et abdominis apice plerumque obscurioribus; antennarum articulo ultimo orbiculato, acuto.

Habitu Om. praecedentis; statura autem majore, punctura crassiore.

Longitudo $\frac{3}{4}$ — $1\frac{1}{2}$ lin.

Corpus nitidum punctum.

Thorax rufus; disco, foveolis duabus, saepius obsoletis, impresso.

Coleoptra confertim puncta, interdum subpuncto-striata.

Pedes testacei.

Variat magnitudine et colore:

Var. 1 *O.* rufum; capite, elytrorum abdominisque apice nigris — minus.

Var. 2 *O.* rufum; oculis, anoque nigris; elytris puncto-striatis. — majus.

Var. 3 *O.* totum rufum; coleoptris punctis, haud puncto-striatis. — minimum.

Habitat Brunsuigae.

Staph. brunneus Payk. Mon. St. n. 45.

- *Payk.* Fn. Suec. St. n. 47.

- *Fabr.* Ent. Syst. Supl. p. 180?

4 *O. crenatum*, fuscum, nitidulum; pedibus pallidioribus; coleoptris crenato-striatis; antennarum articulo ultimo ovato acuto.

Habitu omnino Om. praecedentis varietatis majoris; statura autem latiore et majore; antennis, capite thoraceque paulo longioribus, articulo ultimo ovato, gracilioribus; coleoptris semper puncto-seu crenato-striatis; punctura crassiore.

Longitudo $1\frac{1}{2}$ — $2\frac{1}{4}$ lin.

Variat antennarum basi, thorace et elytris, concoloribus vel pallidioribus.

Habitat — Mus. Prof. *Hellwig.*

Staph. crenatus Payk. Fn. Suec. St. n. 46.

Dom. Paykull, loco citato, allegavit etiam *St. crenatum Fabr.* (Ent. Syst. St. n. 26.) cui Fabricius ipse, comparatione cum *St. striatulo* et *St. fulgido*, staturam et magnitudinem *St. politi* tribuit.

5 *O. brachypterum* fuscum, nitidulum; antennis, thorace, elytris, pedibusque pallidioribus; capite nigro.

Habitu omnino Om. praecedentis; differt autem: thorace subquadrato, basin versus sensim subangustato; coleoptris brevibus, thorace vix longioribus, crenato - punctis, vix striatis.

Longitudo 2 lin.

Habitat — Mus. Prof. *Hellwig.*

6 *O. rufum*, rufum; nitidum; pedibus pallidioribus; oculis nigris; thorace quadrato; coleoptris puncto - striatis.

Habitu O. praecedentis; coleoptris autem longioribus — Ab O. *brunneo* et *crenato*, statura longiore, thorace quadrato, coleoptris paululum brevioribus crassius punctis, distinguitur.

Longitudo $2\frac{1}{3}$ lin.

Corpus crassius punctum quam in cospeciebus.

Thorax marginatus; margine autem tenui.

Coleoptra puncta, disco puncto - striato.

Habitat Brunsuigae.

7 *O. rugosum*, nigro - fuscum, nitidulum; antennis pedibusque pallidioribus; thorace foveolato; coleoptris crenato-striatis.

Longitudo $2\frac{1}{2}$ lin.

Corpus nitidulum, punctum; punctis crassioribus, quam in Om. praecedentibus; depressum.

Caput; antennis, capitis thoracisque longitudine, extrorsum subcrassioribus.

Thorax subquadratus, basin versus subangustatus, planiusculus, foveolatus; foveis tribus; una media longitudi-

nali abbreviata, duabus obliquis basi convergentibus abbreviatis; ita positis, ut quasi formam anchorae exhibeant.

Coleoptra, thorace paulo longiora, crenato - et puncto-striata.

Habitat in quisquiliis; semel modo captum, tempore verno, sub lapide, in horto aulico, Brunsuigae.

Staph. rugosus Olivier Ent. St. n. 42. pl. V. f. 43.

Fam. II.

8 *O. rivulare*, nigrum, nitidum; coleoptris pallidioribus; pedibus rufis; thorace foveolato.

Longitudo $1\frac{1}{6}$ — $1\frac{2}{3}$ lin.

Corpus depressiusculum, latiusculum, nitidum, punctum.

Caput thorace duplo minus, nigrum, rugosum; rugis duabus longitudinalibus abbreviatis inter antennas positis; palpis, antennisque fuscis; his capitis thoracisque longitudine, articulo primo rufo.

Thorax basin versus vix paulo angustatus; lateribus rotundatis, marginibus lateralibus basi latioribus; foveolatus, foveis tribus disci longitudinalibus, abbreviatis, nec basin nec apicem thoracis attingentibus, media, ad apicem, minima, saepius obsoleta, duabus alteris majoribus, constantibus, basi latioribus, apicem versus attenuatis; niger, marginibus lateralibus interdum pallidis.

Coleoptra confertissime puncta, interdum subpuncto-striata, fuscescentia, elytrorum humeris subpallidioribus.

Abdomen breve, obtusum, ano acuto, ventre interdum rufescente.

Habitat frequens in floribus, in gramine, in agaricis et boletis, in fimo bovino et humano. Specimen unicum, longitudine $1\frac{1}{8}$ lin, thoracis marginibus lateralibus pallidioribus, cepi in cadavere talpae, die X. Maji, anno 1801.

Staph. rivularis Payk. Mon. St. n. 46.

- *Payk.* Fn. Suec. St. n. 50.
- *Olivier* Ent. St. n. 49. pl. III. f. 27.
- *Panzer* Fn. Germ. H. 27. t. 15?

Quem Dom. Panzer, loco citato, exhibuit *St. rivularis*, coleoptris nimis brevibus delineatus est, nec conveniens cum descriptione ejus Paykulliana „elytra, capite thorace„que fere longiora" — An hujus speciei?

90. *O. Viburni*, nigrum, nitidum; ore pedibusque fuscescentibus; thorace vix subfoveolato; coleoptris nigricantibus seu fuscis.

Habitu, medium tenet inter sp. praecedentem et sequentem; statura, illa paululum latius, hac paululum angustius; punctura, paulo subtiliore quam illa, paulo crassiore quam haec &c.

Longitudo $1\frac{1}{4}$ — $1\frac{1}{2}$ lin.

Caput Om. praecedentis; antennis totis nigris.

Thorax nitidus, punctus; foveis duabus obsoletis, ante scutellum, impressus; caeterum Om. sequentis.

Abdomen et *coleoptra* Om. sequentis; his autem vel nigricantibus, vel fuscescentibus, vel picescentibus.

Pedes vel ochracei, vel piceo-testacei femoribus fuscis.

Anthophagus Viburni — Mus. Prof. *Knoch.*

10 *O. florale*, nigrum, nitidum; antennis, ore, pedibusque rufis; thorace laevi.

Habitu O. praecedentis; statura paululum latiore; punctura subtiliore, thorace haud foveolato.

Longitudo $1\frac{1}{4}$ — $1\frac{1}{2}$ lin.

Caput laeve, vix subrugosum.

Thorax convexiusculus, lateribus rotundatus, nitidissimus, subtilissime punctus; margine laterali elevato basin versus latiore; disco interdum punctis duobus majoribus impresso.

Coleoptra obscure fusca; oblique, a margine laterali ad suturam, truncata.

Abdomen Om. rivularis (n. 7.).

Habitat in floribus.

Staph. floralis Panzer Fn. G. H. 11. t. 20.

- *Payk.* Mon. St. n. 47.

- *Payk.* Fn. Suec. St. n. 49.

Fabricii (Ent. Syst. *St.* n. 52.) *St floralis* huc non referri potest, quia est „parvus, depressus, thorace plano," et quia coleoptrorum longorum nulla mentio facta est.

11 *O. Ranunculi*, nigrum, nitidum, ore, antennarum basi, pedibusque rufis; thorace subopaco, laevi.

Habitu Om. praecedentium; statura autem paulo crassiore; thorace convexiore; coleoptris longioribus, abdomen fere totum tegentibus.

Longitudo 1 lin.

Corpus nitidum; confertissime, subtiliter punctum.

Caput subrogosum, nigrum; antennis fuscis, basi rufis; ore rufo; caeterum ut in sp. praecedente.

Thorax convexus, subopacus, subtilissime confertissimeque punctus; disco interdum punctis quibusdam majoribus impresso; caeterum ut in sp. praec.

Coleoptra thorace plus duplo longiora, subpuncto-striata, picea, oblique truncata, quibusdam speciminibus praeterea appendiculata, angulo scilicet interiore apicis elytrorum producto (uti in Silpha appendiculata.).

Abdomen, maximam partem a coleoptris tectum; ut in Om. praec.

Anthoph. Ranunculi — Mus. Prof. *Knoch.*

Silpha minuta Fabr. Ent. Syst. S. n. 26?

12 *O. striatum*, nigrum, nitidum; pedibus rufescentibus; elytris puncto-striatis.

Habitu O. praecedentium; statura autem minima.

Longitudo vix 1 lin.

Corpus punctum.

Antennae fuscae, basi interdum rufescentes — *Palpi* rufescentes.

Thorax longitudine duplo fere latior, plerumque foveis disci duabus obsoletis impressus.

Coleoptra interdum subrufescentia.

Habitat in floribus.

Genus VIII.

Anthophágus.

Palpi filiformes.

Antennae filiformes.

cf. mendosa 20 XI Thorax cordatus

Corpus depressiusculum, depile.

Caput suborbiculatum, rugosum, thoracis magnitudine. *Oculi* parvi prosilientes. *Antennae* filiformes; articulis, primo validiore clavato, sequentibus campanulatis, longitudine subdecrescentibus, ultimo ovato acuto.

Thorax subquadratus, convexiusculus, basin versus angustior, punctus, coleoptris angustior et brevior; ora laterali deflexa, laevissima, basi latiore.

Coleoptra rectangula, plana, puncta.

Abdomen deplanatum, latum, obtusum; ano acuto.

Pedes; capitibus femorum approximatis, anticis femore brevioribus, ejus autem crassitie, posterioribus brevissimis absconditis; tibiis laevibus tenuibus; tarsis gracilibus.

○ 1 *A. caraboides*, testaceus, nitidus; thorace antennisque rufis; capite, abdominisque apice nigris.

Longitudo $1\frac{2}{3}$ lin.

Corpus gracile.

Caput nigrum; ore antennisque rufis; his capite thoraceque longioribus.

Thorax convexus, immarginatus, cordatus, vix latitudine paulo longior; angulis anticis rotundatis, posticis acutis; subtilissime confertissimeque punctus, rufus disco fuscescente.

Coleoptra confertim puncta; punctis crassioribus quam reliquae corporis partes.

Abdomen basi testaceum, apice nigrum; quibusdam speciminibus, segmentis duobus, quibusdam, segmentis tribus vel quatuor ultimis nigris.

Habitat in floribus Crataegi oxyacanthae, haud rarus.

Staph. caraboides Payk. Mon. St. n. 19.

\- *Payk.* Fn. Suec. St. n. 25.

Carabus abbreviatus Fabr. Ent. S. C. n. 188.

2 *A. testaceus*, testaceus, nitidus; capite thoraceque rufis; abdominis apice obscuriore; oculis nigris.

Habitu, partiumque forma ac proportione, A. praecedenti simillimus; statura autem majore; punctis thoracis capitisque distinctioribus, haud subtilioribus quam puncta coleoptrorum.

Longitudo 2 lin.

Abdomen segmentis ultimo et penultimo nigris vel fuscescentibus.

Habitat in floribus Crataegi Oxyacanthae, cum A. praecedente; rarior autem — Nondum mihi specimina occurrerunt, quae, ratione puncturae, magnitudinis et coloris, hunc

et praecedentem Anthophagum, modo facili, conjunxissent, et me persuasissent, ambo ad unam eandemque speciem numerandos esse.

Staph. caraboides Linn. (Fn. Suec. n. 854.) et *Fabr.* (Ent. Syst. St. n. 53.) a quibusdam Entomologis huc referuntur; ille autem pediculi est magnitudine; hunc autem *Fabricius* vix tam procul a *Carabo abbreviato* suo (Anthoph. caraboides.) removisset, si ei adeo similis fuisset. Hac de causa ego illos citare nolui.

3 *A. armiger*, nitidus, rufus; elytris pedibusque testaceis; oculis abdomineque nigris.

Habitu A. praecedentium; statura autem majore.

Longitudo $1\frac{3}{4}$ — 2 lin.

Caput maris, thorace latius, bicornutum; cornubus brevibus, porrectis, apice subaduncis, ad basin antennarum; mandibulis validis: *feminae* thorace subangustius, inerme, mandibulis tenuioribus.

Thorax confertim punctus; quibusdam speciminibus submarginatus, quibusdam inmarginatus.

Coleoptra confertim puncta, subpuncto-striata, abdomen plus dimidio tegentia.

Anth. armiger — Mus. Prof. *Hellwig.*

4 *A. obscurus* niger, nitidulus; elytris pedibusque pallidioribus.

Habitu, A. praecedente paulo angustior; thorace convexiore.

Longitudo $1\frac{3}{4}$ lin.

Corpus minus nitidum et laeve quam in speciebus praecedentibus.

Caput nigrum; antennis fuscis.

Coleoptra confertissime puncta.

Variat colore elytrorum et pedum.

Var. 1 *A.* elytris pedibusque fuscis.

Var. 2 *A.* elytris pedibusque testaceis.

Var. 3 *A.* elytris fuscis, pedibus testaceis.

Habitat in floribus.

Staph. obscurus Payk. Fn. Suec. St. n. 28.

Hunc Anthophagum olim sub nomine *Staph. tecti Payk.* accepi; persuasum autem me habeo, illum ab hoc prorsum diversum esse. *Anth. obscuro* sunt nec „thorax in medio „longitudine plus quam dimidio latior" nec „antennae ni„grae, basi pallidiores;" id, quod Paykull *St. tecto* tribuit.

5 *A. plagiatus*, niger, nitidulus; antennis pedibusque fuscis; elytrorum disco sanguineo.

Habitu omnino A. praecedentis; statura autem multo majore.

Longitudo $2\frac{1}{3}$ lin.

Elytra, striga discoidali longitudinali, subobliqua, nec basin nec apicem attingente, sanguinea.

Habitat — Mus. Prof. *Hellwig.*

Staph. plagiatus Payk. Fn. Suec. St. n. 26.

An *St. plagiatus Fabr.* (Ent. Syst. Suppl. p. 180.) cui „thorax planus" est?

Genus IX.

Tachyporus.

Palpi acuminati.
Thorax brevis glaber.
Tibiae spinosae.

Corpus laevissimum, nitidum, elongatum, convexum, apicem versus attenuatum.

Caput, retractum, thorace angustius. *Palpi* anteriores quadriarticulati; posteriores triarticulati. *Antennae* extrorsum crassiores, capitis thoracisque longitudine, articulis, primo brevi valido, secundo tenuissimo, subclavatis, sequentibus crescentibus subcampanulatis, ultimo ovato longiore.

Thorax convexus, brevis, glaber; lateribus deflexis; latitudine coleoptrorum, vel paulo latior; ora laterali infra reflexa, abscondita.

Coleoptra, thorace longiora.

Abdomen apicem versus attenuatum, pilosellum.

Pedes cursorii; capitibus femorum approximatis, anticis femore crassioribus nec longioribus, mediis femore duplo

brevioribus ejus autem crassitie, posticis brevissimis absconditis; tibiis subciliato-spinosis; tarsis gracilibus, articulo primo longiore.

Familia I. thorace suborbiculato.
Familia II. thorace transverso.

Fam. I.

Corpus gracilius quam in familia sequente, antice posticeque attenuatum.

1 *T. dissimilis*, niger, nitidus; pedibus antennisque rufo-testaceis.

Longitudo $1\frac{1}{4}$ — $1\frac{3}{4}$ lin.

Corpus laevissimum, nitidissimum.

Caput subovatum, thorace paulo angustius, nigrum; antennis, capitis thoracisque longitudine, fuscis, articulo primo rufo vel testaceo; palpis rufis.

Thorax suborbiculatus, apicem versus vix subangustior, basi subrotundatus, fuscus, vel nigricans marginibus summis pallescentibus.

Coleoptra subquadrata, nitida, convexiuscula, confertissime subtiliter puncta, vel obsolete puncto-striata; nigrofusca, marginibus subpallidis.

Abdomen nigro-fuscum.

Habitat Brunsuigae.

Oxyporus rufipes Panzer Fn. G. H. 27. t. 20?

Fam. II.

Corpus minus gracile quam in familia prima; abdomine attenuato.

Caput orbiculatum.

2 *T. nitidulus*, nitidissimus, laevissimus, gracilis; coleoptris planiusculis; colore variabili.

Habitu graciliore quam Tachyp. sequentes; coleoptris autem planis praecipue differt.

Longitudo $1\frac{1}{5}$ lin.

Caput, thorace multo angustius.

Thorax transversus, lateribus rotundatus, antice posticeque truncatus, coleoptris paulo latior.

Coleoptra rectangula, plana, impuncta.

Pedes rufi vel testacei; tibiis ciliato-spinosis.

Var. 1 *T.* fuscus; capite atro; antennis, thoracis lateribus, elytris, pedibus, segmentorumque marginibus, testaceis.

Var. 2 *T.* varietati 1 similis; vitta autem elytrorum marginis exterioris nigra.

Var. 3 *T.* niger; thorace nigro-rufescente; antennis, pedibus, coleoptrorum margine apicali, segmentorumque marginibus, rufo testaceis.

Habitat in fimo; haud frequens.

Staph. nitidulus Fabr. Sp Ins. St. n. 17.

- *Olivier* Ent. St. n. 48. pl. III. f. 28.

Oxyp minutus Fabr. Ent. Syst. O. n. 20.

3 *T. abdominalis*, rufus, nitidus; antennis pedibusque pallidioribus; abdomine fusco; oculis nigris.

Habitu T. praecedentis; thorace autem coleoptrorum latitudine; coleoptris convexis.

Longitudo $1\frac{1}{4}$ lin.

Habitat Brunsv. — Mus. Pr. *Hellwig.*

Oxyp. abdomin. Fabr. Ent. S. O. n. 17.

4 *T. lateralis*, niger, nitidus; antennis, palpis, thorace, pedibus, elytrisque rufis; his, basi vittaque marginis exterioris, nigris.

Habitu T. praecedentis; statura autem latiore; coleoptris thorace paulo angustioribus.

Longitudo $1\frac{1}{2}$ lin.

Habitat Brunsuigae.

Tachyp. lateralis — Mus. Pr. *Knoch.*

5 *T. marginatus* niger, nitidus; antennis, pedibus, thoracisque lateribus testaceis; elytris rufis, vitta marginis exterioris nigra.

Habitu T. praecedentis; statura paululum latiore.

Longitudo $1\frac{1}{3}$ — $1\frac{1}{2}$ lin.

Thorax niger, marginibus lateralibus, praecipue basin versus, testaceis.

Habitat in quisquiliis et in floribus, haud infrequens.

Oxyp. marginatus Fabr. Ent. S. O. n. 6.

- *Panzer* Fn. Germ. H. 27. t. 17.

St. dispar var. *β. Payk.* Mon. St. n. 54.

- *Payk.* Fn. Suec. St. n. 69. v. *β.*

- *chrysomelinus Rossi* Fn. Etr. n. 616. v. 2.

St. Blattinus Schrank Austr. n. 447.

- *Schrank* Boica n. 878.

Dom. Paykull *Oxyp. brunneum* et *Hypnorum Fabr.* cum hac specie conjunxit. Dubito, an juste? Hic *Tach. marginatus* elytrorum vitta marginali nigra distinctus est. *Staph. nitidulus Fabr.* meliore jure ad *Tach. nitidulum* (n. 2.) refertur.

6 *T. ruficollis*, nitidus, nigricans; coleoptrorum summo apice pallidiore; thorace pedibusque rufis.

Habitu omnino T. praecedentis; colore constantissimo differt.

Longitudo $1\frac{1}{4}$ lin.

Caput nigrum; antennis palpisque fuscis.

Coleoptra subquadrata, thoracis latitudine, nigro-fusca; margine apicis plus minusve pallescente.

Habitat — Mus. Prof. *Hellwig.*

St. chrysomelinus Rossi Fn. Etr. n. 616. Var. I. a. β.

- *dispar Payk.* Mon. St. n. 54. ♂. *et* Fn. S. St. n. 69. ♂.

7 *T. chrysomelinus*, rufus, nitidus; capite, scutello, coleoptrorum basi et marginibus lateralibus, abdomine et pectore nigris.

Habitu omnino T. praecedentium; colore autem semper differt.

Longitudo $1\frac{1}{4}$ — $1\frac{1}{2}$ lin.

Caput nigrum; ore, antennarumque fuscarum basi, testaceis.

Thorax, coleoptris latior, plerumque rufo-testaceus seu testaceus, rarissime nigro-fuscus.

Coleoptra plerumque dilute rufo-testacea, marginibus lateralibus et circa scutellum nigra; rarius rufo-castanea, basi lateribusque nigris.

Pedes testacei.

* Victitat frequens in floribus, in foliis, et in gramine; rarior in fimo bovino.

Staph. chrysom. Linn. Fn. Suec. n. 855.

- *Rossi* Fn. Etr. n. 616. var. I. a. α.
- *Schrank* Austr. n. 448.
- *Schrank* Boica n. 879.
- *Fourcr.* Ent. Par. St. n. 18.
- *Olivier* Ent. St. n. 47. pl. III. f. 22.

Oxyporus chrysom. Fabr. Ent. S. O. n. 15.

- *Panzer* Fn. Germ. H. 9. t. 14.

Staph. dispar Payk. Mon. St. n. 54. var. α.

- *Payk.* Fn. Suec. St. n. 69. var. α.

Dom. Paykull, loco e Fn. Suecica allegato, citavit etiam *Ox. pygmaeum Fabr.* (Ent. Syst. O. n. 13.), quem ad *Tachynum melanocephalum* retuli (v. n. 15.). *Tachyp. chrysom.* nunquam in boletis mihi occurrit — Dom. Fabricius, loco allegato, *St. obtusum* citavit, quem ipse in Mantissa Insectorum descripsit. Apparet autem ex hac descriptione, illum ad Tachyporum sequentem pertinere — Nec var. γ *St. disparis Payk.* (Mon. St. n. 54 *et* Fn. Suec. St. n. 69.) ad *Tach. chrysomelin.* referenda est, uti Dom. *Panzer* (Fn. Ins. Germ. H. 9. n. 14.) credit, sed ad T. sequentem.

8 *T. analis*, nitidus, rufo-testaceus; oculis, pectore, elytrorum basi, scutello, abdominisque apice, nigris.

Habitu T. praecedentibus simillimus; colore autem semper distinctus.

Longitudo $1\frac{1}{4}$ — $2\frac{1}{4}$ lin.

Caput rarius nigricans.

Coleoptra seminigra, semirufo-testacea.

Victitat cum T. praecedente.

Oxyporus analis Fabr. Ent. S. O. n. 10.

– *Panzer* Fn. Germ. H. 22. t. 16.

Oxyp. obtusus Schrank Boica n. 892.

Staph. obtusus Fabr. Syst. Ent. St. n. 10.

– *Schrank* Austr. n. 451.

– *Rossi* Fn. Etr. n. 621.

– *chrysomelinus Rossi* Fn. Etr. n. 616. Var. I. b.

– *dispar Payk.* Mon. St. n. 54. v. γ.

– *Payk.* Fn. Suec. St. n. 69. v. γ.

Non credo, Dom. Paykull, loco citato, *St. chrysomelinum Linn.* (Fn Suec. n. 855.) jure allegasse. Vide sp. praecedentem.

Dom. Paykull hanc et tres praecedentes species, sub nomine speciali *St. disparis* (Mon. St. n. 54 *et* Fn. Suec. St. n. 69.) conjunxit. Licet autem omnibus eadem sit statura, eadem magnitudo, eademque partium forma et proportio, licet omnes iisdem locis habitent, color attamen constantissimus et satis distinctus singularium specierum me inhibuit, quo minus exemplum viri cel. secutus sim; inter magnam enim multitudinem speciminum ne unicum quidem intermedium reperi, quod unam alteramque speciem connexisset.

9 *T. pubescens* nitidulus, fuscus, subrufescens, subsericans; pedibus antennisque pallidioribus.

Habitu, T. praecedentibus convexior et gracilior; abdomine breviore et angustiore; colore obscuro subopaco.

Longitudo $1\frac{2}{3}$ — $2\frac{1}{4}$ lin.

Tibiae subspinosae.

Variat corpore subnitido et opaco, plus minus sericante; colore rufescente vel fusco.

Habitat passim in succo putrido sub arborum demortuarum cortice.

Staph. pubescens Payk. Mon. Carab. ap. p. 138. n. 53 — 54 var. β.

Staph. cellaris Payk. Fn. Suec. St. n. 67. v. β.

10 *T. cellaris*, nitidulus, sericeo-fuscus; ore, antennis, thoracis angulis basis, macula magna elytrorum humerali, pedibusque, rufo-testaceis.

Habitu, T. praecedente brevior et latior.

Longitudo $1\frac{1}{2}$ — 2 lin.

Coleoptra et *abdomen* plus minusve, interdum vix, sericant — Abdomen breve, valde attenuatum et gracile, coleoptris maximam partem tectum.

Habitat cum T. praecedente; rarior attamen.

Staph. cellaris Payk. Fn. Suec. St. n. 67. v. α.

- *pubescens Payk.* Mon. Carab. append. p. 138. n. 53 — 54 var. α.

Si speciebus hac et praecedente, verum St. *cellarem* et verum *St. pubescentem Payk.* descripsi, quod utique credo, non intelligo, cur vir cel. ambo in unam speciem conjunxerit, cum satis inter se discrepent — *Oxyp. cellaris* et *bima-*

culatus Fabr. (Ent. Syst. Ox. n. 5 *et* 8.) valde invicem congruere videntur; unus illorum certo, forsan vel uterque, huc referri potest.

11 *T. bipustulatus*, nitidulus, nigricans; pedibus fuscis; macula elytrorum basis, prope suturam, rufescente.

Habitu omnino T. praecedentis; convexior attamen et paulo major.

Longitudo $1\frac{1}{2}$ — 2 lin.

Corpus subtilissime griseo-subsericans.

Caput, ore antennisque fuscis; his, in individuis minoribus, articulis duobus ultimis testaceis.

Elytra, macula basis subquadrata rufa, magnitudine tertiae partis elytri, nec marginem exteriorem nec suturam attingente, huic autem propiore, speciminibus minoribus minus determinata.

Anus et *pedes* rufescentes.

T. bipustulatus — Mus. Pr. *Knoch.*

12 *T. binotatus*, niger, nitidus; antennis, macula elytrorum humerali, pedibusque fuscis.

Habitu T. *cellari* (n. 10.) similis; statura autem breviore, crassiore, convexiore; thorace nitidissimo, apicem versus angustato.

Longitudo $1\frac{1}{4}$ lin.

Thorax lateribus subpallidior.

Abdomen subfuscum.

Habitat — Mus. Pr. *Hellwig.*

13 *T. bipunctatus* nigro-fuscus, subsericeo-nitens; puncto elytrorum humerali pedibusque rufis; antennis rufis, medio obscurioribus.

Habitu T. praecedentis; statura autem graciliore et convexiore.

Longitudo $\frac{3}{4}$ lin.

Habitat — Mus. Pr. *Hellwig.*

14 *T. pedicularius* fuscus, subsericeo-nitens; antennis pedibusque testaceis.

Habitu T. *pubescenti* (n. 9.) simillimus; statura autem multo minore.

Longitudo $\frac{3}{4}$ lin.

Thoracis margines, elytrorumque apex interdum pallidiores sunt.

Habitat — Mus. Pr. *Hellwig.*

Genus X.

Tachinus.

Palpi filiformes.

Antennae extrorsum crassiores.

Thorax inmarginatus, basi truncatus.

Corpus laeve, nitidum, elongatum, convexum, apicem versus attenuatum.

Caput thorace angustius, retractum. *Clypeus* angustus, apicem versus angustatus, obtusus. *Palpi* filiformes, anteriores quadriarticulati, posteriores triarticulati. *Antennae* capitis thoracisque longitudine; articulis, primo valido, secundo tenuissimo tertioque, clavatis, sequentibus sensim validioribus, ultimo ovato.

Thorax convexus, lateribus deflexus; ora laterali infra reflexa, abscondita, vix conspicua.

Coleoptra convexa, thorace longiora.

Abdomen pilosum, apicem versus attenuatum.

Pedes ut in genere praecedente; tibiis spinoso-ciliatis; tarsis tenuibus, excepto *T. anali*, (n. 18.).

Familia I. thorace transverso.

Familia II. thorace suborbiculato.

Fam. I.

Corpus minus gracile quam in familia II subtilissime confertissimeque punctum; punctis oculo bene armato conspicuis.

Caput suborbiculatum, thorace triplo minus; ore producto.

Thorax transversus, lateribus leniter deflexis.

Coleoptra thoracis latitudine, angulis acutis.

1 *T. subterraneus* niger, nitidissimus; elytris, macula humerali oblonga testacea.

Habitu T. sequentium; statura autem angustiore, capite majore &c.

Longitudo 2 — $2\frac{1}{2}$ lin.

Caput thorace vix triplo minus, nigrum; antennis fuscis.

Coleoptra rectangula.

Pedes fusci.

Habitat Brunsuigae.

Oxyporus subterr. Fabr. Ent. S. O. n. 4.

Staph. subterr. Payk. Mon. St. n. 52.

- *Payk.* Fn. Suec. St. n. 66.
- *Rossi* Fn. Etr. n. 617.
- *Linn.* Fn. Suec. n. 849?

Linnei *St. subterraneum* interrogative allegavi, cum ejus corpus pediculo tantum duplo majus sit.

2 *T. bipustulatus*, niger, nitidus; antennis, pedibus, clytrorum macula humerali, rufescentibus.

Habitu, T. praecedente multo convexior et latior — A T. sequente antennis brevioribus, crassioribus, totis rufis, macula elytrorum humerali magna quadrata satis determinata, distingui potest.

Longitudo 2 lin. vel paulo longior.

Caput thorace plus triplo longius.

Coleoptra subquadrata.

Habitat in fimo; rarior.

Oxyporus bipust. Fabr. Ent. S. O. n. 9.

- *Panzer* Fn. Germ. H. 16. t. 21.

De *St. bipustulato Rossii* (Fn. Etr. n. 620.) superius, in descriptione *St. bipustulati Fabr.* (n. 54.) jam locutus sum.

3 *T. humeralis*, niger, nitidus; articulo antennarum primo, thoracis margine laterali, pedibusque rufis; colore elytrorum variabili.

Habitu omnino T. praecedentis; antennis autem longioribus gracilioribus, fuscis, articulo primo pallidiore — A T. sequente sat differt.

Longitudo $2\frac{1}{2}$ — 3 lin.

Variat colore elytrorum.

Var. 1 *T.* coleoptris nigris, basi summoque apicis margine rufis.

Var. 2 *T.* elytris rufis, disco obscuriore.

Var. 3 *T.* ut V. 2; thoracis margine basis summo rufescente.

Habitat cum T. praecedente et sequentibus in fimo.

Oxyp. humeralis Schneid.

- *marginellus Panzer* Fn. G. H. 9. t. 13?

Staph. marginalis Schrank Boica n. 881.

Staph. rufipes Payk. Mon. St. n. 53. v. γ.
- *Payk.* Fn. Suec. St. n. 65. v. β. δ.

Dom. *Paykull* (Fn. Suec. St. n. 65 v. ε.) *Staph. flavescentem Linn.* et *Oxyp. marginellum Fabr.* cum hac specie conjunxit. Nolui autem ejus exemplum sequi, cum *Oxyp. marginellus Fabr.*, statura, magnitudine, partiumque forma &c. ab hoc Tachino valde recedat — *St. flavescentem Linn.* haud novi; forsan varietas junior cujuspiam Tachini est — *Tachin. rufipes* nunquam lateribus thoracis testaceo - rufescentibus occurrit; rarissime margine tantum summo laterali pallescente. Quapropter haud cunctatus sum, varietates *St. rufipedis Payk.* allegatas hic citare.

Oxyp. marginellum Panzeri sub hac specie allegavi, quia, magnitudine et colore omnino ab *Oxyp. marginello Fabr.* diversus, huc potius spectat.

4 *T. rufipes*, niger, nitidus; antennis fuscis; pedibus pallidioribus; colore elytrorum variabili.

Habitu, T. praecedenti similis; statura autem paulo graciliore; thorace angustiore, minus convexo, lateribus minus rotundatis, concoloribus; antennarum articulo primo obscuro.

Longitudo 2 — $2\frac{2}{3}$ lin.

Thorax apicem versus paulo angustatus, capite vix triplo major, niger; rarissime margine laterali summo subrufescente.

Coleoptra subrectangula.

Abdomen plerumque breve obtusum, rarius elongatum, apicem versus sensim attenuatum; segmento quinto reliquis longiore, infra vel sinuato seu (abdomine nempe angustio-

re) inciso, vel simplici, margine integro; penicillis tribus vel quatuor, et forcipe cornea brevi, saepius abscondita, infra segmento quinto provenientibus, a segmentis ultimo et penultimo tectis, penicillis attamen tribus aho longioribus — Ornamenta plane similia, eodemque modo differentia, in specicbus praecedentibus Tachinorum observavi. Revera differentiam sexus indicare videntur, nec vero differentiam speciei; id quod ex analogia concludo, cum nonnullis Staphylinorum speciebus similes sint sinus et incisiones segmentorum penultimi et antepenultimi — Confer quae huc pertinentia in praefatione monui.

Ratione coloris, varietates sequentes mihi occurrerunt:

Var. 1 T. Coleoptris nigris; summo apicis margine, elytrorumque humeris rufis.

Var. 2 T. elytris nigris; macula humerali, margine apicis, suturaque, hac autem tenuissime, rufis.

Var. 3 T. elytris nigris; marginibus fuscis vel rufis.

Var. 4 T. elytris rufis; disco obscuriore.

Var. 5 T. elytris dilucide rufis.

Omnes hae varietates variant pedibus rufis vel fuscis.

Habitant in omnibus excrementis; varietates 3 et 4 frequentissimae, reliquae rariores.

Staph. rufipes Payk. Fn. Suec. St. n. 65. v. α.

- *Payk.* Mon. St. n. 53. v. α. β.
- *Rossi* Fn. Etr. n. 618.
- *Olivier* Ent. St. n. 46. pl. IV. f. 35.
- *spinipes Pontopp.* Naturh. in Dän. p. 211. t. 16.
- *marginatus Fourcr.* Ent. Par. St. n. 19.
- *Geoffr.* Hist St. n. 19.
- *De Geer* Mem. St. n. 11.

Haud mirum videtur, hanc et praecedentes duas species, cum habitu invicem adeo similes sint, saepius etiam confusas, et, quia hucusque nondum characteribus satis firmis et distinctivis sejunctae essent, cum aliis, longe discedentibus, commutatas esse. Contigit mihi, numero speciminum majore, ut characteres eorum constantes distinctivos eruerim; et studui, has species, diagnosi descriptione et comparatione inter se, modo facili et plano, disjungere — *Oxyp. rufipes Panzeri* (Fn. G. H. 27. n. 20.) huc non pertinet. Ego saltem nunquam *Ox. rufipedem* aterrimum, antennis totis pedibusque rufis vidi; nec in agaricis putrescentibus degentem reperi — Dom. *I. Sturm* olim *Tach. rufipedem* verum, et quidem var. 4, sub nomine autem *Staph. fuscipedis*, mecum communicavit. Nec autem *Staph. fuscipes Panzeri* (Fn. G. H. 27. t. 12.) est, cui margo lateralis thoracis et antennae fuscescentes sunt; nec *St. fuscipes Fabr.* (Ent. S. St. n. 38.), qui jam ad Aleocharas relatus est — *Oxyp. rufipes Fabr.* (Ent. S. O. n. 21.) totus „niger, pedibus rufis," huc non numerandus est — &c.

5 *T. signatus*, niger, nitidus; antennarum articulo primo, elytrorumque puncto humerali, rufis; pedibus fuscis.

Habitu et *longitudine* omnino T. praecedentis, imprimis varietatis 1; articulo autem primo antennarum constanter rufo.

Tribus hujus speciei individuis, quae examinavi, segmentum quintum abdominis infra margine simplici, nec sinuato nec fisso, erat, et tres penicilli, quos hoc segmentum exserit, ano longiores erant.

Variat elytrorum puncto humerali obsoleto, et margine summo apicis rufescente.

Habitat — Mus. Prof. *Hellwig*.

6 *T.* *pullus*, niger, nitidus; antennarum articulo primo, pedibusque rufis.

Habitu omnino *T. humeralis* (n. 3.); statura autem paulo latiore; capite majore; thorace convexiore, latiore, margine laterali concolore; coleoptris quadratis &c. — A T. praecedente et antepraecedente satis distinctus est.

Longitudo $2\frac{1}{4}$ lin.

Antennae fuscae; articulo primo rufo.

Coleoptra interdum summo apicis margine subrufescente.

Abdominis segmentum quintum variat ita, ut in T. *rufipede* (n. 4.)

Tachyporus pullus — Mus. Pr. *Knoch*.

7 *T.* *castaneus*, niger nitidus; elytris pedibusque fuscescentibus.

Habitu omnino T. *rufipedis* (n. 4.) statura autem breviore et paululum crassiore.

Longitudo $1\frac{2}{3}$ — 2 lin.

Variat colore pedum et elytrorum.

Var. 1 *T.* elytris totis pedibusque fuscis.

Var. 2 *T.* elytris fuscis, humeris margineque laterali et apicis pallidioribus; pedibus fuscis.

Var. 3 *T.* elytris pedibusque pallide castaneis.

Tachyporus castaneus — Mus. Pr. *Knoch*.

8 *T. sordidus*, niger, nitidus; antennis, thoracis marginibus, elytris, pedibus, anoque fuscis.

Habitu T. praecedentis; capite autem paulo minore, thorace paululum angustiore fusco-marginato.

Habitat — Mus. Prof. *Hellwig.*

Staph. fuscipes Panzer Fn. G. H. 27. t. 12?

9 *T. fimetarius*, niger, nitidus; pedibus, thoracis margine laterali, elytrorum humero et margine apicali, rufis.

Habitu et *longitudine* T. *marginelli* (n. 14.); differt autem thoracis lateribus paulo rotundioribus, antennis totis nigris, &c. — A T. *castaneo* (n 7.) statura graciliore, thorace minus convexo lateribus rufo, dignoscitur.

Habitat in fimo.

10 *T. laticollis*, niger, nitidus; elytris pallidioribus; pedibus rufis — thoracis margine laterali vel unicolore vel pallido.

Habitu omnino T. *humeralis* (n. 3.); statura autem multo minore.

Longitudo $1\frac{3}{4}$ lin.

Variat colore elytrorum:

Var. 1 *T.* elytris nigricantibus, summo apicis margine rufo.

Var. 2 *T.* elytris nigricantibus, margine laterali et apicis rufis.

Var. 3 *T.* elytris fuscescentibus.

Habitat — Mus. Prof *Hellwig.*

11 *T. corticinus*, nitidus, brevis, convexus, crassus; colore variabili.

Habitu breviore, crassiore, convexiore quam reliquae hujus generis species, *Ta. hyporo anali*, *chrysomelino* et affinibus, similis; palpis autem hujus generis.

Longitudo $1\frac{1}{3}$ lin.

Color variat;

Var. 1 *T.* totus testaceus.

Var. 2 *T.* testaceus; capite, antennarum abdominisque apice, obscurioribus.

Var. 3 *T.* testaceus; capite obscuriore, antennarum apice fusco; oculis nigris.

Var. 4 *T.* testaceus; antennarum apice, abdomineque obscurioribus; oculis nigris.

Var. 5 *T.* fuscescens; thoracis disco obscuriore; capite abdomineque nigris; antennarum basi pedibusque rufis.

Tachyporus corticinus — Mus. Prof. *Knoch.*

Oxyporus testaceus Fabr. Ent. S. O. n. 18?

Oxyp. brunneus Fabr. Ent. S. O. n. 19?

Conjicere tantum queo, Oxyporos citatos huc referendos esse. Diagnoses et descriptiones eorum in *Fabr.* Ent. Syst. nimium sunt breves, insectorum autem huc pertinentium et varietatum eorum multitudo nimis magna, quam quod aliquid certi de eorum synonymia dici possit.

12 *T. immaturus* fuscus, nitidus; capite nigro; antennarum basi, thoracis elytrorumque limbis, segmentorum marginibus, pedibusque, rufo-testaceis.

Statura, magnitudo, partiumque forma et proportio, omnino T. *marginelli* (n. 13.); forsan mera ejus varietas junior; colore satis distinctus est.

Habitat in fimo bovino; semel tantummodo captus.

An *Oxyp. brunneus Fabr.* Ent. S. O. n. 19?

13 *T. collaris*, nigricans, nitidus; thorace pedibusque rufis.

Habitu T. sequentis; statura autem paulo graciliore.

Longitudo $1\frac{2}{3}$ lin.

Caput, supra nigerrimum, infra rufescens; antennis, articulis tribus primis (reliqui deficiunt) rufis.

Coleoptra thorace duplo ferme longiora, confertim et subtiliter puncta; punctis distinctis conspicuis; nigro-fuscescentia, margine apicis rufo.

Tachypor. collaris — Mus. Pr. *Knoch.*

14 *T. marginellus*, niger, nitidus; antennis basi pallidioribus; thoracis marginibus laterali et basis, pedibusque testaceis.

Habitu T. *laticollis* (n. 9.); thorace autem paulo minus convexo, lateribus minus rotundatis, rectis.

Longitudo $1\frac{1}{3}$ — $1\frac{3}{5}$ lin.

Antennae fuscae, basi pallidae.

Variat elytris totis piceo-fuscis; vel nigris, humero et margine apicis, interdum etiam margine laterali, testaceis.

Habitat in sylvis, in fimo bovino et equino.

Oxyp. marginellus Fabr. Ent. S. O. n. 23.

Staph. rufipes Payk. Fn. Suec. St. n. 65. v. *s.*

Dubito, an *Oxyp. marginellus Panzeri* (Fn. Germ. H. 9. t. 13.) huc referri queat. Magnitudine et colore differt. Sub T. *humerali* (n. 3.) ejus jam mentionem feci — A T. *rufipede* (St. rufip. Payk.) satis est distinctus, et nullo modo ejus varietas.

15 *T. suturalis* niger, nitidus; thoracis lateribus pedibusque testaceis; elytris testaceis, strigis duabus latis, una disci, altera laterali, interdum medio confluentibus, nigris.

Habitu brevi, convexo, fere T. *corticini* (n. 10.).

Coleoptra subtransversa, vix quadrata.

Habitat in fimo; rarior.

Oxyp. suturalis Panzer Fn. G. H. 18. t. 20.

Hic Tachinus apud nos semper sic invenitur, uti in diagnosi descriptus est — D. *Panzer*, loco allegato, eum descripsit „ater nitidus, thorace margine, coleoptris sutura, „apice, puncto baseos, anoque flavis," et figuram, huic descriptioni respondentem, accuratam, exhibuit.

Fam. II.

Corpus gracilius, quam in familia prima, nitidum, inpunctum.

Caput, thorace angustius, fere autem ejus longitudine, laevissimum, nitidissimum.

Thorax suborbiculatus; apice angustior, angulis deflexis.

Coleoptra rectangula.

16 *T. melanocephalus*, capite subovato nigro; colore thoracis, elytrorum et abdominis variabili.

Habitu T. sequentis; statura autem minore et graciliore; thorace paulo angustiore &c.

Longitudo 1 — 2 lin.

Thorax coleoptris angustior.

Elytra lineis duabus longitudinalibus, una disci, altera prope suturam, crenulatis, interdum interruptis, obsoletis, impressa.

Varietatum hujus speciei numerus satis magnus est:

Var. I. Thorace rufo; antennis abdomineque fuscis:

1. elytris testaceis; longitudine $1\frac{1}{3}$ — 2 lin.

Staph. melanocephalus Payk. Mon. St. n. 42 — *an* Fn. Suec. St. n. 63?

Oxyp. melanocephalus Fabr. Ent. Syst. Ox. n. 16.

Staph. trimaculatus Payk. Fn. Suec. St. n. 68. v. γ.

2. elytris testaceis, angulo apicis exteriore nigro; longitudine $1\frac{1}{3}$ — 2 lin.

Oxyp. pygmaeus Fabr. E. S. Ox. n. 13.

- *Panzer* Fn. Germ. H. 27. t. 19.

Var. II. Abdomine et thoracis disco fuscis.

1. elytris testaceis, angulo apicis exteriore nigro; longitudine $1\frac{1}{2}$ — $2\frac{1}{4}$ lin.

Staph. trimaculatus Payk. Fn. Suec. St. n. 68. v. β.

2. elytris testaceis, angulo apicis exteriore et puncto ante scutellum nigris; longitudine 2 — $2\frac{3}{4}$ lin.

Oxyp. trimaculatus Fabr. Ent. Syst. Ox. n. 7.

Staph. trimaculatus Payk. Fn. Suec. St. n. 68. v. α.

- *bimaculatus Schrank* Boica. n. 872.

- *littoreus Payk.* Mon. St. n. 55.

Var. III. T. fuscus, seu nigricans; pedibus antennarumque basi testaceis;

1. elytris testaceis, angulo apicis exteriore nigro; longitudine 1 — $1\frac{2}{3}$ lin.

2. elytris rufis, angulo apicis exteriore nigro; longitudine $1\frac{2}{3}$ lin.

3. elytris rufis, angulo apicis exteriore suturaque nigris; longitudine $1\frac{1}{2}$ lin.

4. elytris nigris, macula magna humerali rufa; longitudine $1\frac{1}{2}$ lin.

Var. IV. rufo-fuscus; thorace rufo-testaceo; pedibus, coleoptrisque testaceis; his, angulis apicis nigris.

Var. V. rufus; thorace rufo-testaceo; pedibus coleoptrisque albicantibus, his, angulis apicis fuscis.

Omnes hae varietates victitant frequentissimae in boletis et agaricis; varietates IV 6 et V ζ vero reliquis rariores.

Staph. littoreus Payk, sub varietate II allegatus, non idem est ac *St. littoreus Linn.*, qui non solum oeconomia longe ab hoc discedit, sed, secundum ipsam descriptionem, insectum plane distinctum designare videtur — Dom. Paykull porro credit, *Oxyp. merdarium Fabr.* et *Staph. disparis var. ε Payk.* ad *St. trimaculati var. γ Payk.* referendos esse; me autem persuasum habeo, ambo Tachypori generis esse — Tandem dubito, *Staph. melanocephalum Payk* Fn. Suec. (St. n. 68.) huc referri posse, cum, „oculo armato, pube brevissima adspersus" appareat, uti Paykull, loco citato, ipse dicit. *Tach. melanocephalo*, quem hic descripsi, caput thorax et elytra nuda, omnino depilia, sunt.

arpuhaccis

17 *T. striatus*, fuscus; capite thoraceque obscurioribus; elytris rufis, apice nigris.

Habitu T. praecedenti simillimus; statura paulo majore.

Longitudo $2\frac{1}{5}$ — $2\frac{3}{4}$ lin.

Caput orbiculatum, ore producto, thorace triplo minus, nigrum; antennis fuscis, basi rufis; ore ochraceo.

Thorax nigricans, margine laterali summo pallescente.

Elytra rufa; apice, nigra; lineis duabus longitudinalibus, subcrenato-punctatis, una disci, altera prope suturam, saepe obsoletis, impressa.

Abdomen obscurum, segmentorum marginibus pallescentibus.

Variat colore elytrorum et pedum.

Var. 1 T. niger; elytrorum macula magna humerali, margineque apicis summo, rufis; pedibus testaceis.

Var. 2 T. niger; pedibus, coleoptrisque rufis; his, regione scutelli, maculaque magna angulorum apicis, nigris.

Var. 3 T. nigricans; ano, pedibus, elytrisque rufis; his, apice nigris.

Var. 4 T. obscure fuscus; ano rufo; coleoptris rufo-testaceis, angulis apicis nigris; pedibus testaceis.

Habitat cum T. praecedente; minus autem frequens.

Staph. striatus Oliv. Ent. St. n. 37. pl. V. f. 47.

punctato-striatus Payk. Fn. S. St. n. 64.

18 *T. lunulatus*, rufus; capite, pectore, abdominisque apice nigris; elytris nigro-coeruleis, basi summoque apicis margine testaceis.

Habitu T. praecedentium hujus familiae, elytris etiam crenato-striatis; capite autem ovato.

Longitudo $1\frac{2}{3}$ — $2\frac{1}{4}$ lin.

Caput oblongo-ovatum, apicem versus sensim angustatum; ore rufo testaceo; antennis, articulis, tribus primis et ultimo rufo-testaceis, mediis fuscescentibus.

Coleoptra subquadrata.

Pedes testacei; capitibus femorum posticis nigris.

Anus niger, annulo plerumque albicante.

Oxyp. lunulatus Fabr. Ent. S. O. n. 3.

Staph. lunulatus Linn. Fn. S. n. 845.

- *Payk.* Mon. St. n. 41 *et* Fn. Suec. St. n. 61.

Habitat in agaricis et boletis, cum T. praecedentibus.

19 *T. atricapillus*, nitidus, rufus; capite, pectore, scutello, abdominisque apice nigris; elytris nigro-coeruleis, macula humerali obliqua et margine apicali testaceis.

Habitu T. praecedenti simillimus; statura autem majore, scutello et elytris circa scutellum nigris, semper differt — Caetera omnia huic cum illo communia sunt.

Longitudo 3 — $3\frac{1}{4}$ lin.

Habitat cum T. praecedente, multo autem frequentior.

Staph. atricap. Fabr. Sp. Ins. St. n. 19.

- *Fabr.* Ent. Syst. St. n. 40.
- *Payk.* Mon. St. n. 35.
- *Payk.* Fn. Suec. St. n. 60.
- *Schrank* Boica n. 877.

Oxyp. lunulatus Panzer Fn. G. H. 22. t. 15.

20 *T. analis*, niger; antennis, elytris, anoque rufis; pedibus testaceis.

Habitu T. praecedentium; statura autem paulo majore; capite orbiculato; tarsis anticis brevibus dilatatis.

Longitudo $3\frac{1}{5}$ lin.

Caput orbiculatum, nigrum; ore testaceo; antennis, capite thoraceque paulo longioribus, fuscis, articulis tribus primis ultimoque testaceis, hoc cylindrico, longiore quam in cospeciebus hujus generis, longitudine articuli primi, multo autem crassiore.

Thorax coleoptrorum latitudine.

Coleoptra thorace multo longiora; elytris, punctis quibusdam disci majoribus obsoletis, vestigio quasi lineae crenato-punctae disci elytrorum specierum praecedentium, impressis.

Abdomen obtusum, nigricans; marginibus segmentorum fuscis; ano rufo.

Pedes testacei; tarsis anticis brevibus dilatatis.

Habitat Brunsuigae.

Staph. analis Fabr. Ent. Syst. St. n. 35.

- *Payk.* Mon. St. *et* Fn. Suec. St. n. 34. α.
- *Olivier* Ent. St. n. 38. pl. III. f. 24.

Oxyporus bicolor Rossi Fn. Etr. n. 625.

21 *T. merdarius*, niger; antennis fuscis; thorace, pectore, elytris, anoque, rufis; pedibus testaceis.

Habitu T. *striati* (n. 16.); thorace autem latiore, apice minus angusto; coleoptris brevioribus, subpunctis.

Longitudo 3 lin.

Habitat Brunsuigae.

Staph. merdarius Oliv. Ent. St. n. 39. pl. V. f. 45.

- *analis Payk.* Mon. St. *et* Faun. Suec. St. n. 34. var. β.

Genus XI.

Oxyporus.

Palpi anteriores filiformes.
Palpi posteriores securidacei.

Corpus nitidissimum, elongatum, depile, convexiusculum.

Caput magnum, quadratum; angulis obtusis; laeve; quibusdam speciminibus thorace majus, quibusdam thorace minus. *Mandibulae* porrectae, validae. *Palpi*; anteriores quadriarticulati, filiformes; posteriores securidacei, triarticulati, articulo ultimo maximo transverso triangulari. *Antennae*, capitis longitudine, extrorsum crassiores compressae; articulis, primo elongato clavato, secundo minimo, tertio et quarto suborbiculatis, sequentibus transversis, latitudine valde crescentibus, ultimo minore suborbiculato obtuso.

Thorax convexus, antice truncatus, lateribus posticeque rotundatus, longitudine paulo latior, coleoptris angustior, laevissimus; ora laterali deflexa.

Coleoptra quadrata, thorace longiora; elytris laevibus, lineis duabus longitudinalibus interruptis crenato-punctis, una disci, altera prope suturam, impressis.

Abdomen breviusculum, marginatum, obtusum; ano acutiusculo.

Pedes, capitibus femorum, anticis et posticis approximatis, mediis subremotis, anticis femore duplo brevioribus, ejus autem crassitie, mediis femore plus duplo brevioribus, ejus autem crassitie, posticis minimis absconditis; tibiis ciliatis; tarsis gracilibus, articulo secundo reliquis paululum longiore.

1 O. *rufus*, rufus; capite, pectore, scutello, coleoptrorum sutura et apice, abdominis apice, femorumque capitibus nigris.

Longitudo 3 — 4 lin.

Caput nigrum; antennis fuscis, basi rufis; palpis rufis.

Elytra nigra; macula magna humerali quadrata, rufo-testacea.

Habitat frequens in boletis; rarior in agaricis.

Oxyp. rufus Fabr. Ent. Syst. O. n. 1.

- *Payk.* Fn. Suec. O. n. 1.
- *Rossi* Fn. Etr. n. 624.
- *Olivier* Ent. O. n. 1. pl. I. f. 1.
- *Panzer* Fn. Ins. G. H. 16. t. 19.

Staph. rufus Linn. Fn. Suec. n. 844.

- *Scopoli* Carn. n. 307.
- *Schrank* Boica n. 891 *et* Austr. n. 438.
- *De Geer* Mem. St. n. 10.
- *Fourcroy* Ent. Par. St. n. 22.
- *nigrofulvus Fourcr.* Ent. Par. St. n. 32.

Geoffr. Hist. St. n. 22.

2 *O. maxillosus*, testaceus; capite, thorace, coleoptrorumque angulis apicis obscurioribus.

Habitu, partiumque proportione forma et punctura O. praecedentis; thorace attamen minus transverso et rotundato, basin versus paululum angustiore.

Longitudo $2\frac{1}{2}$ — $3\frac{4}{5}$ lin.

Colore variat:

Var. 1 O. capite, thorace, angulisque apicis coleoptrorum nigris.

Oxyp. maxillosus Fabr. Ent. Syst. O. n. 2.

- *Panzer* Fn. Germ. H. 16. t. 20.

Var. 2 O. capite, thoraceque fuscis; angulis apicis coleoptrorum nigris.

Var. 3 O. capite, thoraceque rufescentibus; angulis apicis coleoptrorum fuscis.

Var. 4, capite, angulis coleoptrorum apicis, thoraceque nigris, hoc punctis seu maculis duobus disci rufis.

Var. 5, minima, testacea; capite thoraceque rufis; oculis nigris; angulis coleoptrorum apicis fuscis.

Habitat in sylvis, in agaricis; O. praecedente rarior.

Genus XII.

Stenus.

Palpi anteriores triarticulati.
Palpi posteriores filiformes.

Corpus elongatum, teretiusculum, crassum, opacum, depile, cicatriculosum, seu punctum; punctis crassioribus.

Caput magnum, rugosum, thorace latius. *Oculi* maximi, prosilientes. *Palpi*, anteriores longissimi, triarticulati, articulo ultimo clavato; posteriores triarticulati, breves, filiformes. *Antennae* medio tenues, apice crassae, capite longiores; articulis, primo valido, secundo breviore, clavatis, tertio longissimo tenuissimo, sequentibus longitudine decrescente, filiformibus, octavo crassiore campanulato, nono et decimo crassissimis orbiculatis, ultimo suborbiculato seu subovato acuto.

Thorax teretiusculus, medio latior, coleoptris angustior; ora laterali cicatricosa, vix, linea laterali subelevata, separata.

Coleoptra thoracis longitudine.

Abdomen subcylindricum, durum; ano acuto.

Pedes graciles, cursorii; capitibus femorum approximatis, omnibus brevissimis absconditis; tibiis laevibus, nudis; tarsis tenuibus.

1 *St. Juno*, niger; gutta elytrorum, pedibusque testaceis; geniculis nigris.

Longitudo 2¾ lin.

Caput foveola media longitudinali impressum, nigrum; antennis, capite duplo longioribus, obscure fuscis, articulo primo nitido; palpis testaceis, anterioribus apice fuscis.

Thorax subfusiformis, canalicula media longitudinali, subobsoleta impressus.

Elytra, gutta disci, apici attamen paulo propiore quam basi, rufo-testacea, nitente.

Pedes testacei, capitibus femorum, femorumque apicibus nigris.

Habitat Brunsuigae; rarior.

Staph. Juno Payk. Mon. St. n. 33. v. β.

Stenus Juno Payk. Fn. Suec. St. n. 1. v. β.

2 *St. biguttatus* niger: gutta elytrorum rufo testacea.

Habitu toto, partiumque forma et proportione St. praecedentis; statura autem minore, punctis subtilioribus, palpis pedibusque nigricantibus, obscure fuscescentibus.

Longitudo 2 — 2⅓ lin.

Habitat frequentissime in arenosis humidis, sub vegetabilibus putrescentibus in lacunis exsiccatis, interdum etiam

sub lapidibus; semel in domo captus; nunquam autem cum St. praecedente.

Staph. biguttatus Linn. Fn. S. St. n. 851.

- *Fabr.* Ent. Syst. St. n. 36.
- *Rossi* Fn. Etr. n. 623. var. 2.
- *Schrank* Austr. n. 446.
- *Schrank* Boica n. 871.
- *Panzer* Fn. Germ. H. 11. t. 17.

Paederus bigutt. Oliv. Ent. P. n. 4. pl. I. f. 3.

Stenus Juno Payk. Fn. Suec. St. 1. v. β. v.

3 *St. oculatus*, niger; palpis testaceis; antennis rufo-testaceis, articulo primo nigerrimo nitido; pedibus testaceis, geniculis nigris.

Habitu toto, *longitudine*, punctura, partiumque forma et proportione St. praecedentis.

Captus in gramine, locis uliginosis, haud frequens.

Staph. oculatus Götze Beitr.

Stenus Juno Payk. Fn. Suec. St. n. 1. v. α.

4 *St. cicindeloides*, niger; antennis palpisque anterioribus testaceis, apicibus fuscis; pedibus testaceo rufis; geniculis nigris.

Habitu, *longitudine*, punctura, partiumque forma et proportione omnino *St. Junonis* (n. 1.); antennis autem palpisque testaceis, et defectu guttae elytrorum distinctus est. — A. St. praecedente, statura majore, punctura crassiore, antennarum articulo primo testaceo &c. satis differt.

Habitat Brunsuigae.

Staph. cicindeloides Schaller Act. Hallens. Tom. I. pag. 324.

Staph. Buphthalmus Rossi Fn. Etr. St. n. 623. v. 3.

- *clavicornis Scopoli* Carn. n. 303?

Paeder. proboscideus Olivier Ent. P. n. 5. pl. I. f. 5.

Dom. *Scopoli*, loco allegato, *St. clavicorni* suo tribuit, inter alios characteres, manifeste ad Stenum quendam referendos, „antennas semilineam longas, thoracem subtus rufo „villo pubescentem, abdomen villosum, elytris lucidius.“ Omnia haec ego in nullo Steno reperi, et suspicor ideo, *St. clavicornem Scop.* speciem distinctam esse.

5 *St. clavicornis* niger, antennis testaceis, apice et articulo primo nigris.

Habitu St. *oculato* (n. 3.) similis; statura autem minore; pedibus totis nigris.

Longitudo $1\frac{2}{3}$ — $2\frac{1}{3}$ lin.

Habitat Brunsuigae; captus, primo vere, in horto aulico, sub lapidibus in quisquiliis; et, cum *St. biguttato* (n. 2.) sub vegetabilibus putrescentibus in lacuna exsiccata.

Staph. clavicornis Rossi Fn. Etr. n. 623. var. 1.

6 *St. Buphthalmus* totus niger.

Habitu St. praecedentium; statura autem minore et breviore.

Longitudo $1\frac{2}{3}$ lin.

Habitat in arenosis humidis; rarior; semel tantummodo captus, et quidem cum St. *biguttato* (n. 2.).

Staph. buphthalmus Schrank Austr. n. 445 *et* Boica n. 870.

- *clavicornis Panzer* Fn. G. H. 27. t. 11.

7 *St. pallipes*, niger; pedibus, palpis, antennisque testaceis; his autem articulis ultimis et primo nigris.

Habitu St. praecedentium; statura autem minore et paululum graciliore. Praeterea ab omnibus Stenis, pedibus totis testaceis, geniculis concoloribus, differt.

Longitudo $1\frac{1}{2}$ lin.

Habitat, cum *St. oculato* (n. 3.) in gramine, locis uliginosis, ubi duo hujus speciei specimina, copula juncta, prehendi.

Staph. clavicornis Fabr. Ent. S. St. n. 37.

8 *St. fuscipes*, niger; palpis, antennis, pedibusque fuscis.

Habitu quidem St. praecedentium; omnium autem minimus; thorace paulo breviore, pedibus rufo-fuscis, distinctus.

Longitudo $1\frac{1}{4}$ lin.

Habitat? — Brunsuigae.

9 *St. circularis*, niger, nitidulus; thorace brevi, latitudine vix longiore.

Habitu, St. praecedentibus brevior.

Longitudo $\frac{4}{5}$ lin.

Antennae et *palpi* fuscescentes; *labrum* testaceum.

St. circularis — Mus. Pr. *Knoch.*

Non potui sustinere, exemplum plurimorum Entomologorum sequi, omnes has Stenorum species in unam speciem redigentium. Characteribus gaudent constantissimis, proveniunt locis et temporibus diversis, et victitant nimis separatae, quam quod mihi persuadere possim, esse subspecies

tantum speciei unius communis Saepius magnam individuorum hujus illiusve speciei multitudinem, uno eodemque loco et tempore, reperi, rarissime autem cum aliis diversae speciei mixtam; si hoc vero aliquando contigerit, semper attamen individua, eaque perpauca, speciei fuerunt, quam forsan omnium minime cum illa conjunxissem, (E. g. St. buphthalmi et St. biguttati; St. clavicornis et St. biguttati.) — Multo minus autem credo, varietatem magnitudinis et coloris partium quarundam differentiam sexualem respicere; experientia obstat. Dom. Paykull individua duo Steni, „gutta elytrorum testacea," copula juncta vidit; ego ipse duo individua Steni *pallipedis.*

Coleoptera Microptera
exotica.

Genus I.
Staphylinus.

Fam. I.

1 *St. hirtus*, niger; capite, thorace, abdominisque apice fulvis; coleoptris cinereis, basi nigris.

Habitu et partium forma ac proportione St. *maxillosi.*

Longitudo 8 — 10 lin.

Corpus, supra lanuginosum; infra nudum nigrum nitidum, excepta segmenti penultimi basi fulvo-lanuginosa.

Caput fulvum; oculis, ore antennisque nudis nigris.

Thorax fulvus, basi nuda nigra; linea media longitudinali nitida.

Scutellum nigro-sammetinum.

Coleoptra pilosa, basi nigra, apice cinerea subobscure nebulosa.

Abdomen nigrum; segmentis tribus ultimis fulvis.

Habitat Bremae &c.

St. hirtus Linn. Fn. Suec. n. 839.

- *Fabr.* Ent. Syst. St. n. 2.
- *Payk.* Mon. St. *et* Fn. Suec. St. n. 1.
- *Panzer* Fn. Ins. Germ. H. 4. t. 19.
- *Bombylius De Geer* Mem. St. n. 5.

2 *St. villosus*, niger, nitidus; thoracis angulis anticis, pectore, coleoptrorum vitta transversali, abdominisque medio, cinereis.

Habitu, partiumque forma ac proportione, *St. maxilloso* simillimus; angulis autem anticis thoracis, pectore, segmentisque modo duobus mediis cinereo-villosis distinctus.

Longitudo $5\frac{3}{4}$ lin.

Abdomen supra nigrum, segmentis duobus mediis lateribus cinereis.

Habitat in America septentr.

St. villosus — Mus. Pr. *Knoch.*

Fam. II.

3 *St. macrocephalus*, nigricans, subnitidus; clypeo testaceo; coleoptris fuscis.

Habitu St. *similis*; statura autem majore, clypeo testaceo, capite thoraceque subaeneis &c. satis differt.

Longitudo 8 — 9 lin.

Caput, thorace latius, nitidum, nigro-aeneum, linea media longitudinali obsoleta laevi nitida; clypeo testaceo; antennis, capite longioribus, extrorsum tenuioribus, arti-

culis tribus ultimis rufescentibus; palpis fuscis, articulis apice pallidioribus.

Thorax subnitidus, nigro-aeneus; linea media longitudinali obsoleta laevissima; coleoptris paulo angustior et longior.

Coleoptra transversa, opaca, rufo-fusca.

Abdomen subnitidum, fusco-nigrum.

Pedes nigro-fusci; tarsis pallidioribus.

Habitat in montibus Hercyniae.

St. macroceph. — Mus. Pr. *Hellwig.*

4 *St. tomentosus*, niger, opacus; antennis extrorsum subcrassioribus.

Habitu St. *olentis*; capite autem orbiculato minore, antennis extrorsum paulo crassioribus, thorace coleoptrisque paulo longioribus, et statura graciliore.

Longitudo 6 lin.

Corpus opacum, subtilissime confertissimeque punctum, pilis brevissimis depressis vestitum.

Caput orbiculatum, thorace paulo minus.

Thorax latitudine paululum longior.

Coleoptra subquadrata.

Habitat in America septentr.

St. tomentosus — Mus. Pr. *Knoch.*

5 *St. ater*, niger, nitidus; antennis tarsisque fuscis.

Habitu St. *Morionis*; capite autem et thorace nitidioribus, parcius punctis; coleoptris latitudine paulo longioribus.

Longitudo $7\frac{1}{2}$ lin.

Caput et *thorax* nitidiora quam reliquae corporis partes, linea media longitudinali laevi nitidissima.

Habitat in America septentr.

St. ater — Mus. Pr. *Knoch.*

6 *St. violaceus*, niger, nitidulus; coleoptris violaceis.

Habitu St. *cyanei*; capite autem et thorace nitidioribus, crassius, nec confertissime, punctis; thorace paululum convexiore.

Longitudo $6\frac{1}{4}$ lin.

Caput punctum; linea media longitudinali laevi, nitida; nigrum, subviolaceo-nitens.

Thorax niger, subviolaceo- et cyaneo-nitens; linea media longitudinali deficiente.

Habitat in America septentr.

St. violaceus — Mus. Pr. *Knoch.*

7 *St. zonatus*, cupreus, subnitidus; femoribus, abdomineque nigris; segmentorum marginibus cinnabarinis.

Habitu St. *aeneocephali*; statura autem longiore, punctura crassiore et colore differt.

Longitudo $7\frac{1}{2}$ lin.

Caput punctum, linea longitudinali deficiente, cupreo-aeneum, infra nigrum nitidum; clypeo testaceo; oculis et mandibulis nigris.

Thorax cupreo-aeneus, punctus, linea media longitudinali obsoleta, laevi, basin versus latiore.

Abdomen nigrum, apice rufum, marginibus segmentorum cinnabarinis.

Pedes nigri, tibiis tarsisque rufis.

Habitat in America septentr.

Staph. — Mus. Pr. *Hellwig.*

8 *St. baltimorensis*, fuscus, nitidus; capite thoraceque nigris nitidissimis.

Habitu transit ex hac Staphylinorum familia in sequentem. Capite scilicet nitido, parum puncto, medio laevi, et thoracis punctis in series subdispositis, potius ad familiam sequentem numerandus est. Thorace autem quadrato, apice haud angustiore, cum reliquis huius familiae Staphylinis congruit.

Longitudo 5 — 6 lin.

Caput orbiculatum, thorace latius, punctum; punctis paucis subtilibus; medio laevissimum nitidissimum, nigrum; antennis capite longioribus, extrorsum subcrassioribus fuscescentibus.

Thorax quadratus, coleoptris angustior, convexior quam reliquis huius familiae Staphylinis, nitidissimus, medio laevissimus, lateribus punctus; punctis haud confertis, in series decem vel duodecim subdispositis.

Coleoptra quadrata, subtiliter cicatriculosa.

Pedes, tarsis anticis dilatatis.

Habitat in America septentr.

St. baltimorensis — Mus. Pr. *Knoch.*

9 *St. pedator*, niger, subnitidus; antennis pedibusque rufis.

Habitu, partiumque forma ac proportione St. *aeneocephali* maximi; statura autem paulo maiore, capite thoraceque crassius punctis et minus nitidis.

Longitudo 7 lin.

Caput nigrum, linea media nitida laevi; palpis antennisque fuscescentibus, his articulo primo rufo.

Thorax linea media longitudinali nitidissima subelevata.

Habitat — Mus. Com. de *Hoffmannsegg.*

10 *St. fuscatus*, niger, opacus; capite thoraceque nitidis; hoc subtiliter nec confertim puncto.

Habitu partiumque forma ac proportione varietati latiori St. *aeneocephali* simillimus; capite autem thoraceque paulo crassius nec confertissime punctis.

Longitudo 6 lin.

Caput et *thorax* linea media longitudinali obsoleta laevissima nitidissima.

Antennae et *pedes* fusci.

Coleoptra et *abdomen* opaca, nigricantia, subgrisescentisericantia.

Habitat — Mus. C. de *Hoffmannsegg.*

11 *St. cinnamopterus*, nigricans, subnitidus; coleoptris, segmentorum marginibus, tarsis, tibiisque rufescentibus.

Habitu St. *aeneocephali*; capite autem et thorace crassius punctis, et minus nitidis.

Longitudo $5\frac{1}{2}$ — 6 lin.

Caput et *thorax* aenei, subobscure rufescentes.

Abdomen subgriseo-sericans.

Habitat Baltimore.

St. cinnamopt. — Mus. Pr. *Knoch.*

12 *St. fossator* niger, subopacus; elytris nigro-fuscis, macula apicis fulvo-testacea.

Habitu St. *fossori* similis; thorace autem breviore, coleoptris paulo latioribus.

Longitudo 6½ lin.

Caput et *thorax* quadrati; linea media longitudinali laevi, basi nitidissima.

Coleoptra longitudine paulo latiora, nigro-fusca, macula elytrorum apicis subquadrata.

Habitat in America septentr.

St. fossator — Mus. Pr. *Knoch.*

13 *St. maculosus*, pubescens, griseo-nebulosus, infra flavo-sericans; coleoptris fuscescentibus; tibiis et tarsis testaceis.

Habitu St. *pubescentis*; statura autem maiore, colore et pube differt.

Longitudo 9 — 11 lin.

Corpus pube brevissima tenui tectum.

Caput quadratum, angulis obtusis, thoracis fere magnitudine; supra subolivaceo-aeneum, punctum; infra nigrum, nitidum; linea media longitudinali deficiente; fronte circa oculos rufescente; clypeo flavescente seu rufo-testaceo; antennis, capitis longitudine, extrorsum subcrassioribus, fuscis, apice rufo-sericantibus, articulo primo apice rufo.

Thorax, colore et punctura capitis; linea media longitudinali, laevi, nitida, basin versus latiore.

Coleoptra obscure rufescentia, subfusco-nebulosa.

Scutellum nigrum, medio sammetinum.

Abdomen supra pilis griseo-flavescentibus tenuibus tectum, segmentis, medio, punctis duobus obscuris; infra subflavescenti-sericans, marginibus segmentorum flavis.

Pectus nigrum, pilis brevibus tenuibus flavis sericans.

Pedes testaceo-rufi; capitibus femorum nigris; femoribus anticis et posticis nigris, marginibus et geniculis rufescentibus; femoribus mediis nigris, margine inferiore et geniculis rufis.

Habitat Baltimore.

St. maculosus — Mus. Pr. *Knoch.*

14 *St. cingulatus*, nebulosus; pedibus antennisque fuscescentibus; pectore, abdominis apice, segmentorumque basi ventre, fulvo-sericantibus.

Habitu, partiumque forma, proportione, punctura, colore et signaturis St. *nebulosi*; pectore autem, segmentis tribus ultimis supra totis, omnibus vero infra basi, fulvo-sericantibus, nec non statura maiore differt.

Longitudo 7 — 9 lin.

Habitat in America septentr.

St. cingulatus — Mus. Pr. *Knoch.*

15 *St. chloropterus*, viridi-aeneus; abdomine nigricante, marginibus segmentorum rufis; pedibus testaceis, femoribus nigro-annulatis.

Habitu et partium forma ac proportione St. *murini.*

Longitudo 4 lin.

Caput nitidulum, confertissime punctum; linea media longitudinali, laevi, nitida; subviridi-vel cupreo-aeneum; antennis palpisque rufescentibus.

Thorax nitidulus, colore capitis, confertissime punctus; linea media longitudinali, laevi, basin versus, latiore nitidissima.

Scutellum nigro-sammetinum.

Coleoptra nitidula, viridana, smaragdi colore, subobscure nebulosa, margine apicali ciliis brevibus flavescentibus fimbriata.

Abdomen nigrum, opacum; apice, segmentorumque marginibus rufis.

Pectus pilis tenuibus flavo-grisescentibus sericans.

Pedes testacei; macula seu annulo femorum, capitibusque femorum nigris; his grisescenti-sericantibus.

St. chloropterus (Creutzer) *Panzer* Fn. Ins. Germ. H. 20 t. 36.

Habitat in Austria.

Fam. III.

16 *St. cinctulus*, niger, nitidus; pedibus antennisque fuscescentibus; elytris aeneis; marginibus segmentorum primi et secundi albidis.

Habitu quidem St. *aeneocephalo* e familia secunda similis; thorace autem suborbiculato, seriebus dorsalibus tripunctis.

Longitudo 5 lin.

Caput orbiculatum, thorace paulo minus, laeve, nitidum, nigrum, basi punctum; antennis, capite thoraceque brevioribus, fuscescentibus; oculis ovatis magnis.

Thorax subquadratus; apice vix angustior, angulis minus deflexis quam in cospeciebus huius familiae; coleoptris paulo minor; seriebus dorsalibus tripunctis, puncto ultimo remoto, ad basis marginem sito; seriebus lateralibus tripunctis; punctis marginalibus pluribus, duobus autem majoribus.

Coleoptra pilis brevibus tecta, subviridi-aenea.

Habitat in Bengala.

St. cinctulus — Mus. Pr. *Hellwig.*

17 *St. cyanipennis*, niger, nitidus; coleoptris vel cyaneis, vel coeruleis, vel viridibus.

Habitu, partiumque forma ac proportione St. *aenei*; punctura autem subtiliore et elytrorum colore differt.

Longitudo 5 lin.

Caput orbiculatum, vel thorace angustius, vel eius latitudine; punctis quibusdam subtilibus basi impressum.

Thorax seriebus dorsalibus quadripunctis, lateralibus arcuatis tripunctis, marginalibus bipunctis.

Coleoptra pilis brevibus tenuibus tecta.

Pedes, tarsis anticis gracilibus.

Habitat in America septentr.

St. cyanipennis Fabr. Ent. S. St. n. 29.

18 *St. metallicus*, niger, nitidus; elytris aeneis; thorace seriebus dorsalibus quinquepunctis; capite orbiculato.

Habitu St. *aenei*; statura autem graciliore, splendore minus nitido.

Longitudo $3\frac{3}{4}$ lin.

Caput orbiculatum, thorace minus; antennis capite thoraceque vix brevioribus.

Thorax seriebus dorsalibus quinquepunctis, lateralibus tripunctis, marginalibus bipunctis.

Coleoptra quadrata, subpilosella, coeruleo-viridique-aenea. Forsan nitor coeruleo-aeneus fortuitus, et viridi-aeneus solus proprius est.

Unicum, quod possideo, individuum huius speciei, verisimile cum aliis Staphylinis in fimo captum est prope Brunsuigam.

19 *St. Virgo*, niger, nitidus; thorace seriebus dorsalibus sexpunctis; capite suborbiculato.

Habitu St. *variante* gracilior.

Longitudo 3 lin.

Caput latitudine paulo longius, thorace angustius; antennis, capitis thoracisque longitudine, gracilibus.

Thorax seriebus dorsalibus sexpunctis, lateralibus tripunctis, marginalibus bipunctis, punctis subtilibus.

Coleoptra quadrata depilia.

Pedes, tarsis anticis subdilatatis fuscis.

Habitat in Lusitania.

Staph. — Mus. Com. de *Hoffmannsegg*.

20 *St. umbrinus*, niger, nitidus; abdomine elytrisque subopacis; palpis pedibusque fuscis; thorace seriebus dorsalibus quinquepunctis; capite orbiculato.

Habitu St. *atrati*.

Longitudo $3\frac{1}{2}$ lin.

Caput orbiculatum, thoracis fere magnitudine.

Coleoptra quadrata, subsericantia, depilia.

Abdomen subsericans.

Habitat in America septentr.

St. umbrinus — Mus. Pr. *Knoch*.

21 *St. umbratilis*, niger, nitidus; coleoptris aenescentibus; palpis pedibusque pallide fuscis; thorace seriebus dorsalibus quadripunctis; capite orbiculato.

Habitu, St. praecedente minor et gracilior; capite minore; coleoptris latitudine paulo longioribus

Longitudo 3 lin.

Habitat in America septentr.

St. — Mus. Pr. *Knoch.*

22 *St. ebeninus* niger, nitidus; pedibus piceo-fuscis; thorace seriebus dorsalibus quinquepunctis; capite orbiculato.

Habitu St. *atrati*; punctura autem thoracis et colore pedum distinctus.

Longitudo $3\frac{1}{2}$ lin.

Caput orbiculatum, nitidissimum, thorace paulo angustius; antennis, capite longioribus, palpisque obscure fuscescentibus.

Thorax nitidissimus.

Coleoptra subquadrata, latitudine paulo longiora, puncta, nitida, pilis tenuibus grisescentibus vestita.

Abdomen nigrum, nitidum, pilis tenuibus grisescentibus sericans.

Habitat Brunsuigae.

23 *St. thoracicus*, niger, nitidus; basi antennarum, thorace, pedibus, elytrisque rufis.

Habitu St. *marginati*; statura autem paulo graciliore et minore, thorace paulo angustiore.

Longitudo 3 lin.

Caput subovatum, thorace minus, nitidissimum, nigrum; palpis, antennarumque articulo primo rufis; antennis, capitis thoracisque longitudine, articulo ultimo pallido.

Thorax nitidissimus, rufus; seriebus dorsalibus sexpunctis, lateralibus tripunctis, marginalibus bipunctis.

Coleoptra quadrata, subnitida, subtilissime puncta, obscure rufa, depilia.

Abdomen nigrum, subgrisco-sericans.

Habitat in America septentr.

St. thoracicus — Mus. Pr. *Knoch.*

24 *St. rufipes*, niger, nitidus; antennis, palpis, pedibusque rufis; thorace seriebus dorsalibus tripunctis.

Habitu, partiumque forma ac proportione St. *marginati.*

Longitudo $3\frac{1}{2}$ lin.

Caput suborbiculatum, thorace angustius, nitidum; oculis magnis oblongis.

Thorax, coleoptris paulo angustior, nitidus; seriebus dorsalibus tripunctis, punctis subtilibus; seriebus lateralibus obsoletis; puncto marginali uno distincto.

Coleoptra quadrata, subopaca, depilia, grisescentia, subtilissime confertissimeque puncta.

Abdomen subopacum, nigrum; ventre viridi-aeneo.

Pedes rufi: capitibus femorum mediis et posticis nigris.

Habitat in Bohemia.

St. rufipes — Mus. C. de *Hoffmannsegg.*

25 *St. sericans*, nitidus, fusco-nigricans, subsericeo-nitens; pedibus pallidis; thorace seriebus dorsalibus sexpunctis; capite orbiculato.

Habitu St. *fusci*; thoracis autem seriebus dorsalibus sexpunctis.

Longitudo 2 lin.

Thorax colore fugacissimo obsoleto griseo sericans; seriebus dorsalibus sexpunctis, lateralibus tripunctis, puncto marginali uno.

Coleoptra quadrata depilia.

Habitat in America septentr.

St. nitens — Mus. Pr. *Knoch.*

26 *St. brunneus*, nitidus, fusco-nigricans; pedibus rufis; thorace seriebus dorsalibus sexpunctis; capite orbiculato.

Statura graciliore et longiore, capite thoraceque proportionaliter minoribus, a St. praecedente differt.

Longitudo $2\frac{1}{2}$ lin.

Caput orbiculatum, thorace paulo minus, nigricans; palpis, antennarumque basi rufescentibus.

Thorax vel rufo-vel nigro-fuscus.

Abdomen subgriseo-sericans.

Habitat in America septentr.

St. brunneus — Mus. Fr. *Knoch.*

27 *St. praecox*, testaceus, nitidus; capite et thoracis disco fuscis.

Longitudo 3 lin.

Caput suborbiculatum, thorace angustius, fuscum; ore, antennarumque basi pallide rufis; his capite thoraceque brevioribus.

Thorax, coleoptrorum latitudine, fuscus, testaceo-marginatus; seriebus dorsalibus tripunctis.

Coleoptra testacea, latitudine paulo longiora, subopaca, puncta, depilia.

Abdomen coloribus variis aeneis nitens.

Pedes testacei; tarsis anticis dilatatis.

Habitat in Lusitania.

St. — Mus. Comitis de *Hoffmannsegg.*

28 *St. laticollis*, niger, nitidus; antennis, palpis, elytris, pedibusque rufescentibus; thorace seriebus dorsalibus tripunctis; capite orbiculato.

Habitu quidem St. *nitidi*; thorace autem medio haud latiore, angulis apicis haud declivis, antennis multo gracilioribus, satis differt.

Longitudo $4\frac{1}{3}$ lin.

Caput suborbiculatum, thorace minus, nitidissimum; palpis rufis; antennis, capite vix paulo longioribus, gracilibus, fere filiformibus, fuscis, articulo primo interdum rufo.

Thorax suborbiculatus, nitidissimus, lateribus declinatus; seriebus dorsalibus tripunctis, lateralibus bipunctis, punctis subtilibus; puncto autem marginali majore.

Coleoptra quadrata, subtiliter et confertim puncta, pilis brevibus tenuibus tecta, castanea vel nigro-rufa.

Abdomen nitidum, pilis griseis tenuissimis sericans.

Pedes rufo-fuscescentes, apice interdum pallidiores; tarsis anticis dilatatis.

Habitat Baltimore.

St. laticollis — Mus. Pr. *Knoch.*

29 *St. ventralis*, nitidus, nigricans; basi antennarum, pedibus, segmentorumque marginibus ventre, rufis; thorace seriebus dorsalibus quinquepunctis.

Habitu St. *subuliformis*.

Longitudo 3 lin.

Caput orbiculatum, thorace angustius, nigrum; ore rufo; antennis, capite longioribus, fuscis, articulo primo rufo.

Thorax; seriebus dorsalibus quinquepunctis, punctis tribus mediis approximatis; seriebus lateralibus tri-vel quadripunctis, arcuatis; marginalibus bipunctis.

Coleoptra quadrata depilia.

Pedes rufo-testacei.

Habitat in Lusitania.

St. — Mus. Com. de *Hoffmannsegg*.

30 *St. obscurus*, niger, nitidus; thorace seriebus dorsalibus quinquepunctis; capite suborbiculato.

Habitu St. *opaci*; statura autem paulo graciliore, capite paululum maiore, capitibus femorum anticis (quae St. *opaco* semper piceo-testacea sunt) nigris &c. differt.

Longitudo fere 3 lin.

Caput thorace paulo angustius.

Coleoptra latitudine paulo longiora, pilis sparsis tecta.

Pedes obscure fuscescentes.

Habitat Brunsuigae.

31 *St. contaminatus*, niger, nitidus; coleoptris subsanguineo-nitentibus; thorace seriebus dorsalibus quinquepunctis; capite suborbiculato.

Habitu, medium tenet inter *St. bipustulatum* et St. *sanguinolentum*.

Longitudo $3\frac{1}{2}$ lin.

Caput suborbiculatum, thorace paulo minus, antennis capite paululum longioribus, crassioribus et brevioribus quam in speciebus affinibus.

Thorax St. *bipustulati*, paulo longior et angustior quam in St. *sanguinolento*; seriebus dorsalibus quinquepunctis, punctis tribus mediis approximatis.

Pedes fuscescentes; capitibus femorum concoloribus, vix paulo pallidioribus.

Habitat Brunsuigae.

32 *St. fimetarius*, niger, nitidus; elytris aeneis; pedibus pallidis; thorace seriebus dorsalibus quadripunctis; capite subovato.

Habitu St. *ochropodis*; thorace autem seriebus dorsalibus quadripunctis, statura maiore.

Longitudo $2\frac{1}{2}$ — $3\frac{1}{4}$ lin.

Caput subovatum, thorace plerumque paulo minus, rarius thoracis magnitudine; antennis vix capitis thoracisque longitudine.

Thorax St. *ochropodis*, seriebus autem dorsalibus quadripunctis.

Coleoptra subviridi-aenea, subpilosa.

Abdomen nigrum, interdum pilis grisescentibus vestitum.

Pedes vel testacei, vel fuscescentes; capitibus femorum anticis compressis, nitidissimis, pallidis.

Habitat Brunsuigae, in fimo bovino et equino.

33 *St. sordidus*, niger, nitidus; elytris aeneis; thorace seriebus dorsalibus quadripunctis; capite suborbiculato.

Habitu et magnitudine Staph. *ochropodis*; thorace autem seriebus dorsalibus quadripunctis, capite paulo minore quam thorax, pedibus nigris.

Longitudo $2\frac{1}{2}$ lin.

Thorax St. *ochropodis*.

Habitat in fimo; cum St. praecedente.

34 *St. Anthrax*, nitidus; nigricans; pedibus rufis; thorace subquadrato, seriebus dorsalibus quinquepunctis.

Habitu, partiumque forma proportione ac punctura Staph. *ochropodis*.

Longitudo 3 lin.

Caput suborbiculatum, thoracis magnitudine.

Thorax antice haud angustior; subquadratus, latitudine paulo longior, nigro-fuscus.

Coleoptra quadrata, obscure fuscescentia, depilia.

Habitat in America septentr.

St. anthrax — Mus. Pr. *Knoch*.

Fam. IV.

35 *St. emmesus*, niger, nitidus; thorace, elytris, pedibus, anoque rufis.

Habitu, partiumque forma ac proportione St. *ochracei*; differt autem punctura thoracis et colore.

Longitudo $2\frac{3}{4}$ lin.

Caput nigerrimum; antennis, capitis longitudine, fuscis, basi rufescentibus; palpis rufis.

Thorax rufus; seriebus punctorum St. elongati.

Coleoptra testaceo-rufa, puncto-striata.

Habitat in America septentr.

St. emmesus — Mus. Pr. *Knoch.*

36 *St. longiceps*, nigricans, nitidus; antennis pedibusque pallide fuscis; thorace lateribus multipuncto.

Habitu, partiumque forma ac proportione omnino St. *ochracei*; punctura autem thoracis differt.

Longitudo 2¾ lin.

Thorax subtiliter, nec confertissime, punctus, linea media longitudinali lata laevissima; punctis interdum in series octo obsoletas subdispositis.

Coleoptra picescentia.

Habitat in Lusitania.

St. longiceps — Mus. C. de *Hoffmannsegg.*

37 *St. punctulatus*, niger, nitidissimus; antennis pedibusque fuscescentibus; thorace lateribus multipuncto.

Habitu, partiumque forma proportione ac punctura Staph. *ochracei*; statura autem maiore — An, cum St. praecedente et St. *ochraceo*, eiusdem specici?

Longitudo 3 — 4 lin.

Corpus nitidum, nigricans vel subfuscens, subaeneonitens.

Caput subtiliter punctum, medio laeve, nigrum; antennis palpisque rufescentibus seu fuscis.

Thorax ut in St. praecedente.

Coleoptra puncta, haud puncto-striata.

Pedes rufi vel fuscescentes.

Habitat in Lusitania.

St. punctulat. Mus. C. de *Hoffmannsegg.*

38 *St. glabratus*, niger, nitidus; elytris rufo - testaceis; thorace seriebus dorsalibus sexpunctis.

Habitu, partiumque forma ac proportione St. *glabri*; statura autem multo maiore.

Longitudo 5 — 6 lin.

Caput, laeve, nitidum, basi punctum, nigrum; antennis et palpis fuscis.

Thorax, seriebus dorsalibus sexpunctis, lateralibus quadripunctis, marginalibus tripunctis, ultimis duabus apice conjunctis uti in St. *glabro*, *ochraceo* &c.

Coleoptra puncta; punctis crassis nec confertissimis; obsolete subpuncto - striata.

Pedes, femoribus obscure fuscis, tibiis tarsisque pallide fuscis seu rufescentibus.

Habitat in Lusitania.

St. — Mus. Com. de *Hoffmannsegg.*

Genus II.

Lathrobium.

1 *L. bicolor*, nigrum, nitidum; thorace, elytris, anoque fusco-castaneis; pedibus testaceis.

Habitu, partiumque forma ac proportione omnino L. *badii*.

Longitudo $4\frac{1}{3}$ lin.

Caput confertim punctum, nigrum; palpis antennisque fuscis; his, capitis thoracisque longitudine, articulo primo rufo.

Thorax confertim punctus, linea media longitudinali laevi nitida.

Abdomen nigrum, segmentis duobus ultimis fusco-castaneis.

Pedes testacei; capitibus femorum rufis; tarsis tenuibus.

Habitat in America septentr.

Paederus bicolor — Mus. Pr. *Knoch.*

2 *L. pallipes*, nigricans, nitidum; pedibus testaceis; ore antennarumque articulo primo rufis.

Longitudo 4 — $4\frac{1}{2}$ lin.

Corpus nigrum seu obscure fuscum.

Caput ovatum, thorace paulo latius et brevius, vel magnitudine thoracis, nigrum, punctum; antennis, capite thoraceque paulo brevioribus, gracilibus, extrorsum vix paulo crassioribus, fuscis, articulis, primo rufo longissimo ut in *L. fracticorni*, sequentibus elongato-campanulatis longitudine decrescente, ultimo orbiculato acuminato; ore rufo, mandibulis nigris falcatis.

Thorax coleoptris angustior, at vix paulo brevior, nitidissimus, punctus; linea media longitudinali laevissima glaberrima.

Coleoptra nitidula, puncta, punctis cicatricosis.

Abdomen subpilosellum.

Pedes graciles, testacei; capitibus femorum rufis.

Habitat in America septentr.

Paederus pallipes — Mus. Pr. *Knoch.*

3 *L. politum*, nitidum, pallide fuscum; antennis pedibusque rufescentibus; capite nigricante; thorace elytrisque puncto-striatis.

Habitu, magnitudine, partiumque forma proportione ac punctura omnino L. sequentis. An hujus varietas junior?

Caput nigricans; antennis fuscis, articulo primo rufo; palpis rufis.

Thorax obscure fuscus.

Coleoptra fusco-rufescentia.

Abdomen infra rufescens, supra fuscum, tenuissime griseo-sericans.

Pedes antici pallide rufi, medii fusci.

Habitat in America septentr.

Paederus politus — Mus. Pr. *Knoch.*

4 *L. longiusculum*, nigrum, nitidum; ore, antennis, elytris, pedibusque rufescentibus; thorace elytrisque puncto-striatis.

Habitu, partiumque forma ac proportione *L. elongati*; punctura autem differt.

Longitudo 3 lin.

Caput nitidum, subtiliter vage punctum, medio laevissimum, nigrum; ore antennisque rufescentibus; his gracilibus, capitis thoracisque longitudine vel paulo longioribus.

Thorax nitidus, laevis; seriebus dorsalibus novempunctis, lateralibus et marginalibus octopunctis; punctis subtilibus.

Coleoptra subnitidula, puncto - striata; striis interdum obsoletis; fusco - castanea.

Abdomen nigrum; segmentis tribus ultimis interdum obscure rufis; pilis brevibus tenuibus grisescentibus tectum.

Pedes pallide rufi; tarsis anticis brevibus dilatatis.

Habitat in America septentr.

Paederus longiusculus — Mus. Pr. *Knoch* — Coleoptris distincte puncto - striatis; abdomine nigro, segmentis ultimis margine subpallidis.

Habitat etiam in Lusitania.

Mus. Com. de *Hoffmannsegg* — Coleoptris obsolete puncto-striatis, ano rufescente.

5 *L. gracile*, nigrum, nitidum; ore, antennis, pedibus, coleoptrorum et abdominis apice rufis.

Habitu, partiumque proportione forma ac punctura *L. elongati*; statura autem multo minore, nitore splendidiore &c. distinctum.

Longitudo 3 lin.

Coleoptra basi nigra, apice rufa; sutura attamen tota nigra.

Habitat in Lusitania.

Staph. gracilis — Mus. Com. de *Hoffmannsegg.*

6 *L. depressum*, nigrum, nitidum, deplanatum; antennis pedibusque fuscescentibus; coleoptris puncto-striatis, rufis, basi nigris.

Habitu ab omnibus cospeciebus satis discedit.

Longitudo $3\frac{1}{4}$ lin.

Caput quadratum, angulis obtusis, apicem versus vix paulo angustius, depressum, magnitudine thoracis, nitidum, subtiliter, nec confertissime, punctum, nigrum; ore rufo-testaceo; antennis filiformibus, capite thoraceque vix longioribus, fuscis, articulis, primo valido, secundo brevi, tertio paulo longiore quam secundus, clavatis, sequentibus longitudine decrescentibus, ultimo ovato acuto.

Thorax latitudine paulo longior, depressus, basin versus subangustatus, nitidus, subtiliter, nec confertissime, punctus, angulis anticis acutis.

Coleoptra plana, subrectangula, thorace paulo longiora, subnitida, puncta vel puncto-striata.

Abdomen planum, nigrum; ano fuscescente.

Pedes rufi; femoribus posticis et capitibus femorum nigricantibus.

Habitat in Lusitania.

Mus. Com. de *Hoffmannsegg*.

Genus III.

Paederus.

1 *P. corticinus*, subnitidus, fusco-nigricans; ore, antennis, coleoptris, thorace, pedibusque pallidioribus.

Habitu P. *castanei*; statura autem breviore et minus gracili, capite et thorace latioribus &c. satis differt.

Longitudo $2\frac{3}{4}$ lin.

Corpus supra obscurum, infra pallidum; capite, thorace, elytrisque nitidulis; subtilissime et confertissime punctis, punctis oculo bene armato conspicuis.

Caput quadratum, magnitudine thoracis.

Thorax quadratus, basin versus vix ac ne vix quidem angustatus, coleoptris paulo minor, rufo-fuscus; linea media longitudinali laevi nitida.

Coleoptra quadrata, pallide picea.

Abdomen nitidulum, griseo-sericans; supra obscure fuscum, marginibus segmentorum pallidis; infra rufescens.

Pedes rufi.

Habitat in America septentr.

Paed. corticinus — Mus. Pr. *Knoch.*

2 *P. ruficollis*, nitidus, niger vel subcyanescens; coleoptris cyaneis; thorace rufo.

Statura, *magnitudine*, partiumque forma proportione ac punctura P. *littoralis*.

Caput; palporum anteriorum articulo medio rufo; apice interdum fuscescente.

Thorax subtiliter vage punctus.

Habitat sub lapidibus, in Germania, Lusitania.

P. ruficollis Fabr. Ent. Syst. P. n. 2.

– *Panzer* Fn. Germ. H. 27. t. 22.

Staph. rufic. Payk. Mon. St. n. 18.

Genus V.

Aleochara.

Fam. II.

1 *A. dichroa*, nigra, nitida; pedibus elytrisque testaceis.

Habitu omnino Al. *Boleti*; statura autem paulo graciliore.

Longitudo $1\frac{1}{5}$ lin.

Caput thorace minus, nigrum; antennis fuscis, capite thoraceque longioribus, articulo primo rufo.

Thorax transversus, lateribus rotundatus, nitidus, foveola ante scutellum impressus.

Coleoptra quadrata.

Habitat in America septentr.

Al. dichroa — Mus. Pr. *Knoch.*

Fam. III.

2 *A. lata*, nigra, nitida; coleoptris brevissimis.

Habitu omnino Al. *fuscipedis* maioris; tota autem nigra, coleoptris brevioribus, elytris quadratis.

Longitudo $2\frac{1}{3}$ — 3 lin.

Habitat in America septentr.

Al. lata — Mus. Pr. *Knoch.*

3 *A. bimaculata*, nigra, nitida; elytris apice rufo - testaceis; thorace obsolete bisulcato.

Habitu Al. *fuscipedis*; statura autem paulo angustiore, antennis gracilioribus, thoracis sculptura &c. ab illa discedit.

Longitudo $2\frac{1}{4}$ — $2\frac{3}{4}$ lin.

Caput nigrum; antennis, capite longioribus, palpisque fuscescentibus.

Thorax nitidus; foveis ante scutellum duabus obsoletis longitudinalibus, dimidii thoracis longitudine, punctis, impressus.

Coleoptra nigra, seu obscure fusca; macula anguli interioris elytrorum apicis testacea seu rufo castanea.

Abdomen nigrum, subgriseo - sericans.

Pedes obscure fusci.

Habitat in America septentr.

Al. bimaculata Mus. Pr. *Knoch.*

Genus VIII.

Anthophagus.

1 *A. dichrous*, subnitidus, niger; ore, antennis, thorace, scutello, elytris, pectore, pedibusque rufis.

Longitudo $3\frac{1}{2}$ lin.

Caput thoracis magnitudine; antennis capite thoraceque longioribus.

Thorax A. *testacei*, punctus, lateribus et ante basin impressus.

Coleoptra rectangula, thorace duplo longiora et latiora, cicatriculoso - puncta.

Habitat Dresdae.

Staph. dichrous — Mus. C. de *Hoffmannsegg.*

2 *A. alpinus*, niger, nitidus; apice antennarum thoraceque fuscis; basi antennarum, elytris, pedibusque testaceis.

Habitu omnino A. *armigeri*; statura autem multo minore, capite nigro simplici.

Habitat in betula et salice, in summis alpibus Lapponiae.

Staph. alpinus Fabr. Ent. S. St. n. 33.

Staph. Payk. Fn. Suec. St. n. 27.

Olivier Ent. St. n. 45. pl. VI. f. 55.

3 *A. plagiatus*, niger, nitidus; pedibus antennisque fuscis; elytris disco sanguineis.

Habitu, partiumque forma ac proportione A. *obscuri*; magnitudine autem et elytrorum disco sanguineo distinctus est.

Longitudo 2⅓ lin.

Habitat — Mus. Pr. *Hellwig.*

Staph. plagiatus Payk. Fn. Suec. St. n. 20.

An *St. plagiatus Fabr.* (Suppl. St. pag. 180.)? cui thorax est planus.

Genus IX.

Tachyporus.

1 *T. crassus*, nitidus, brevis, subgriseo-sericans, nigrofuscus; antennis pedibusque pallidioribus.

Statura, T. *pubescente* multo latior et crassior.

Longitudo $1\frac{3}{4}$ lin.

Thorax convexus nitidus.

Coleoptra nitidula, subquadrata, longitudine vix paulo latiora.

Habitat in America septentr.

T. crassus — Mus. Pr. *Knoch.*

Genus X.

Tachinus.

Fam. I.

1 *T. batychrous*, niger, nitidus; antennis, pedibus, elytrorumque humeris rufis.

Habitu T. *bipustulati* et *humeralis;* thorace autem et coleoptris angustioribus.

Longitudo 2½ lin.

Caput nigrum; antennis rufo-fuscescentibus, articulis tribus primis rufis.

Thorax niger, marginibus lateralibus subpallidioribus.

Coleoptra latitudine paulo longiora, nigra; sutura et elytrorum macula humerali subquadrata obscure castaneis.

Pedes pallide rufi; capitibus femorum nigricantibus.

Habitat in America septentr.

Tachyporus batychr. — Mus. Pr. *Knoch.*

2 *T. fimbriatus*, niger, nitidus; coleoptris castaneis, margine apicali nigro.

Habitu T. *rufipedis*, statura autem multo maiore, thorace proportionaliter paulo latiore.

Longitudo $3\frac{1}{4}$ lin.

Caput nigrum; antennis fuscis, capite thoraceque brevioribus, articulo primo rufescente; labro palpisque pallide rufis.

Coleoptra subquadrata, obsolete striata, castanea, margine apicali et margine dimidio laterali nigris.

Pedes fuscescentes.

Habitat in America septentr.

Tachypor. fimbr. — Mus. Pr. *Knoch.*

3 *T. memnonius*, niger, nitidulus; ore, antennis, pedibusque rufis.

Habitu, partiumque forma ac proportione T. *pullo* similis; statura autem paulo maiore, nitore minus splendido.

Longitudo $2\frac{2}{3}$ lin.

Caput nigrum, palpis antennisque fuscescentibus; his basi pallidioribus.

Habitat in America septententr.

Tachypor. memn. — Mus. Pr. *Knoch.*

4 *T. marginalis*, niger, nitidus; thoracis lateribus, coleoptrorum sutura et margine apicali, pedibusque testaceis.

Habitu, partiumque forma ac proportione omnino T. *suturalis.*

Longitudo 1 lin.

Caput cum antennis et palpis, nec non *thorax* omnino T. *suturalis.*

Coleoptra; sutura margineque apicali testaceis, hoc autem obsoletiore.

Pedes testacei; capitibus femorum nigris.

Habitat in America septentr.

Tachypor. marg. — Mus. Pr. *Knoch.*

Fam. II.

5 T. *niger*, niger, nitidus; antennarum articulo primo, et segmenti penultimi margine, rufescentibus.

Statura quidem magna et colore nigro ab omnibus huius familiae cospeciebus discedit; forma autem et proportione partium, imprimis thoracis et ultimi antennarum articuli, utique cum illis congruit.

Longitudo 5 lin.

Caput ovatum, thorace plus duplo minus, laeve nitidum, nigrum; clypeo testaceo; palpis antennisque fuscis, his, articulis primo et ultimo rufis.

Coleoptra subquadrata, latitudine vix paulo longiora, laevia; elytris, serie disci obsolete tripuncta.

Abdomen pilis brevibus tenuissimis vestitum, nigrum; segmento penultimo rufo, basi nigricante.

Habitat in America septentr.

Tachyp. niger — Mus. Pr. *Knoch.*

6 T. *cinctus*, nitidus, rufus; capite, pectore, anoque nigris; coleoptris chalybeis, basi et sutura rufis.

Habitu, partiumque forma proportione et punctura omnino T. *atricapilli*; statura autem minus gracili et sutura rufa differt.

Longitudo 2½ lin.

Antennae nigricantes, articulis tribus primis et ultimo rufis.

Habitat in America septentr.

Tachypor. cinctus — Mus. Pr. *Knoch.*

Genus XI.

Oxyporus.

1 *O. lateralis*, nitidus, rufus; lateribus thoracis et capitis, angulisque coleoptrorum apicis nigris.

Habitu O. *rufi*; coleoptris autem multo majoribus, et thorace medio latiore.

Longitudo $3\frac{1}{2}$ lin.

Corpus infra, cum palpis et pedibus, testaceum.

Caput, thoracis magnitudine, pallide vel obscure rufum; disco, oculis et angulis basis nigris.

Thorax pallide seu obscure rufus; lateribus rotundatis nigris; coleoptris duplo angustior et brevior.

Coleoptra quadrata, apicem versus paulo latiora, testacea; sutura interdum, angulis vero apicis semper, nigris; elytris, disco punctis et bistriatis, striis vero apicem haud attingentibus (ut in Oxyp. *rufo*).

Abdomen rufum, plerumque punctis duobus segmenti singuli nigris notatum.

Habitat in America septentr.

O. lateralis — Mus. Pr. *Knoch*.

2 *O. vittatus*, niger, nitidus; palpis, pedibus, coleoptrisque testaceis, his margine laterali atque sutura nigris.

Habitu, partiumque proportione, forma et sculptura omnino Oxyp. *maxillosi* — Ab O. sequente, statura minore, capite thorace elytrisque nitidioribus, thorace breviore, pedibus totis testaceis differt.

Longitudo 3 lin.

Caput; antennis, capite paulo brevioribus, pallide fuscescentibus, articulo primo testaceo.

Thorax transversus, lateribus rotundatis, medio latissimus.

Coleoptra testacea; sutura et vitta marginali, apicem versus dilatata, nigris.

Habitat in America septentr.

Ox. vittatus — Mus. Pr. *Knoch.*

3 O. *femoralis*, niger, nitidulus; palpis posticis, tibiis, tarsis, coleoptrisque testaceis; his sutura margineque laterali nigris.

Habitu O. praecedentis.

Longitudo $3\frac{3}{4}$ lin.

Thorax, longitudine latitudinis, basin versus subangustatus.

Coleoptra omnino ut in Oxyp. praecedente.

Pedes nigri; tibiis testaceis, summa apice nigra; tarsis testaceis.

Habitat in America septentr.

O. vittati var. — Mus. Pr. *Knoch.*

4 O. *cinctus*, niger, nitidus; antennis, palpis pedibusque testaceis; abdominis ventre margineque rufis; coleoptris testaceis, sutura atque lateribus nigris.

Habitu omnino O. *vittati* (n. 2.), a quo colore solummodo differt — An eius varietas?

Longitudo 3 lin.

Coleoptra testacea; sutura et vitta laterali, apicem versus dilatata, latiore quam in Ox. *vittato*, nigris.

Habitat in America septentr.

O. cinctus — Mus. Pr. *Knoch.*

5 *O. caelatus*, nitidus, cicatricosus, niger; coleoptris rufis, angulis apicis nigris.

Longitudo 2 lin.

Caput, thoracis magnitudine, punctis crebris crassis nodulisque scabrum; oculis globosis prosilientibus.

Thorax convexus, quadratus, lateribus paululum rotundatis, coleoptrorum longitudine; punctis crebris crassis impressis nodisque cicatricosis scabrum; nodis septem maioribus insignibus, quorum quatuor, figuram quadrati exhibentes, in discum, quintus ante scutellum, sextus et septimus ad latera dispositi sunt.

Coleoptra transversa, thorace latiora, punctis impressis nodulisque cicatricosis irregularibus scabra.

Abdomen nigrum, marginibus subrufescentibus; serie nodulorum marginali, nodulis singuli segmenti duobus.

Pedes rufi; femoribus apice nigris.

Habitat in America septentr.

O. caelatus — Mus. Pr. *Knoch.*

Genus XII.

Stenus.

1 *St. cordatus*, niger; pedibus rufis, genubus nigris; thorace cordato.

Habitu Stenorum plurimorum, thorace autem cordato, coleoptris proportionaliter latioribus, abdomine apicem versus attenuato, satis distinctus.

Longitudo 3 lin.

Corpus nitidulum, punctum, punctis autem subtilioribus quam in St. *cicindeloide*.

Thorax, longitudine latitudinis, cordatus, sulcis duobus longitudinalibus obsoletis impressus, coleoptris brevior et duplo angustior.

Coleoptra quadrata lata.

Abdomen apicem versus attenuatum.

Pedes; femoribus basi rufis, apice nigris; tibiis rufis, basi nigris.

Habitat in Lusitania.

Mus. Com. de *Hoffmannsegg*.

Genus XIII.

Astrapaeus.

Palpi securidacei.

Habitu, partiumque forma atque proportione Staphylinorum familiae tertiae.

Caput; palpis, articulis ultimis securiformibus, reliquis clavatis.

1 *A. Ulmi*, niger, nitidus; antennarum basi, ore, elytris et segmenti penultimi margine rufis.

Habitu Staph. *nitidi* maioris.

Longitudo $4\frac{1}{2}$ — $5\frac{1}{2}$ lin.

Caput suborbiculatum, thorace minus, laevissimum, nitidissimum, nigrum; antennis, capite paulo longioribus, fuscis, articulo primo rufo; clypeo testaceo; labro rufo; palpis rufo-testaceis.

Thorax, coleoptrorum magnitudine, suborbiculatus, apice angustior, lateribus deflexus, laevissimus, nitidissimus, puncto interdum uno alterove impressus.

Coleoptra quadrata, nitidissima, laevia; elytris, serie disci longitudinali recta quadripuncta.

Abdomen nitidulum.

Pedes nigri; tibiis tarsisque anticis fuscescentibus, his dilatatis.

Habitat sub cortice Ulmi, primo vere — *Rossi.*

Staph. Ulmi Rossi Fn. Etr. n. 611 tab. V fig. 6.

- *Olivier* Ent. St. n. 17 pl. IV f. 37.

Genus XIV.

Pinophilus.

Palpi filiformes.

Antennae filiformes.

Thorax quadratus, postice truncatus.

Habitu Lathrobiis affinis, praecipue L. *pallipedi* et L. *badio*, palpis autem filiformibus et thorace quadrato differt — A Staphylinis thorace basi truncato distinctus.

Corpus filiforme Lathrobii.

Caput orbiculatum, thoracis fere latitudine, punctum. Labro et clypeo brevibus latis. Mandibulis falcatis acutis. Palpis filiformibus, anterioribus quadriarticulatis, posterioribus triarticulatis. Antennis filiformibus; articulis ultimo suborbiculato acuminato, reliquis clavatis, primo longissimo valido, tertio et quarto longioribus quam secundus, sequentibus longitudine decrescentibus.

Thorax quadratus, basi truncatus, capite paulo longior, coleoptris paulo brevior, convexiusculus, punctus, linea media longitudinali subobsoleta laevi nitida. Canalicula marginali puncta. Ora laterali deflexa glaberrima, basi latiore.

Coleoptra rectangula, puncta, thoracis latitudine.

Pedes cursorii, subpiloselli; antici validi fossorii, capitibus femorum femore paulo brevioribus, ejus autem crassitie, femoribus tibiisque brevibus validis, tarsis brevissimis dilatatis; posteriores graciliores, capitibus femorum brevissimis, articulis tarsorum, primo longiore, tertio brevissimo, quinto, seu ungula, haud apici articuli quarti, sed basi ejus, seu apici articuli tertii, adhaerente; tibiis posticis apice oblique sinuatis.

1 *P. latipes*, fusco - nigricans; palpis, antennis, pedibusque testaceis.

Longitudo 6 lin.

Antennae, capite thoraceque paulo breviores; articulis testaccis apice fuscescente, excepto primo toto testaceo.

Pedes testacei; capitibus femorum nigricantibus.

Habitat in America septentr.

Paederus latipes — Mus. Pr. *Knoch.*

Index.

Nomina, literis cursivis impressa, significant genera nova vel species novas. Species, quibus litera *e* postpositu est, exoticae sunt.

Aleochara G. V.

pag. 67 et 186.

Anthophagus G. VIII.

pag. 120 et 188.

Pinophilus G. XIV.

pag. 201.

Staphylinus G. I.

pag. 1 et 159.

Stenus G. XII.

pag. 153 et 198.

Tachinus G. X.

pag. 134 et 191.

Tachyporus G. IX.

pag. 124 et 190.

Errata emendanda.

Pag. VII *lin.* 1 *lege* Coleoptera.
— — *not.* 1 — Ulysses.
— — *lin.* 5 — invenimus.
— VIII — 4 — plures.
— — — 6 — sectionis.
— IX — 9 — respondent.
— XII — 2 — „ antennis.
— — — 3 — tenuioribus."
— XIII — 9 — Tachinus.
— XVII — 8 — earum.
— XXIV § 3 *lin.* 2 *lege* Aleocharae.
— XXVII *not.* 1 *lin.* 1 *lege* Coleopterorum.
— XLI — 4 — 6 — sq *pro* 59.
— XLIV *lin.* 1 *post* circumdatus *adde* est.
— — — 10 *lege* angulum.
— L *not.* 1 *lin.* 9 *post* multis *ponendum est*).
— LIII *lin.* 13 *lege* sextum.
— LXIII — *ultima lege* et *pro* es.
— 11 n. 12 *lin.* 3 *lege* a St.
— 12 *lin.* 6 *lege* flavicante.
— 13 *n.* 14 *lin.* 2 *lege* angulis.
— 14 — 15 — 4 vix quidem.
— 15 *fam.* III *lin.* 8 *lege* magnitudi-
— 36 *n.* 53 *delenda est* Var. 6 St. coleoptris nigris; sutura sanguinea.

Pag. 41 *Var.* 1 *lin.* 2 *lege* rufis-
— 54 *lin.* 20 *lege* Brunsuigae.
— 64 — 17 — angustatus.
— 66 — *ult.* — Brunsuigae.
— 74 — 17 — Brunsuigae.
— — *n.* 10 *lin.* 7 *lege* paululum.
— 79 — 18 — 17 — Brunsuigae.
— 90 *lin.* 12 *lege* Brunsuigae.
— 92 — 16 — Blankenburgi.
— 116 *n.* 8 *lin.* 9 *lege* thorax.
— 117 — 9 — 9 *pro? lege,*
— 120 *Characteribus genericis addendus est* Thorax cordatus.
— 131 *n.* 10 *lin.* 7 *lege* a co-
— 138 *lin* 3 *lege* infra e.
— — — 7 — Revera.
— 142 *n.* 12 *lin.* 5 *lege* 14 *pro* 13.
— 143 — 14 — 4 — 10 — 9.
— 144 *lin.* 4 *lege* 11 *pro* 10.
— 146 — 8 — IV et V *pro* 6 et 7.
— 147 — 2 — punctis.
— 155 — *ult.* *post* Hallens. *adde* Tom. I pag. 324.
— 157 — *ult.* *lege* eas esse.
— 177 *n.* 37 *lin.* 7 *lege* fuscescens.
— 192 — 3 — 6 — antennis.